T637f
Cop.1

The Property of

W. G. FARLOW.

M. A. Curtis.

# FVNGI MECKLENBVRGENSES SELECTI.

AVCTORE

HENRICO IVLIO TODE

SYNODI WITTENBVRGENSIS PRAEPOSITO ET V. D. APVD PRITZIERENSES MINISTRO. SOCIET. BEROL. AMIC. NAT. CVR. NEC NON NAT. CVR. HALENS. SOD.




## FASCICVLVS I.

## NOVA FVNGORVM GENERA-COMPLECTENS.

*TABVLIS VII. AENEIS ADIECTIS.*

LVNEBVRGI 1790.

APVD IOH. FRIED. GVIL. LEMKE.

T637f
cop.1

Im Wald und Feld, auf Bergen und in Gründen
Dich, unausſprechlich Mächtiger,
Unendlich Guter, Herrlicher,
Gott, aller Welten Gott, dich ſuchen, und dich finden.
Selbſt da, noch da, dich finden, wie du biſt
Und wie du wirkeſt, du, deſs Name heilig iſt,
Wohin dem eklen Stolz den Blick zu richten grauet,
Wohin ſo gar der Geiz nicht ſchauet,
Welch eine Seligkeit!
O Luſt, durch kein Gewiſſensnagen,
Kein Ungeſtüm im Herzen und im Magen,
Nicht durch Transſcendentalitäten
Und keinen Qualm der Interpreten
Geſtumpft, verbittert und entweiht!

Der wunderſame Menſch blickt einmal; muſs,
Gedrungen durch des Schickſals Schluſs,
Nun einmal um ſich blicken, um an Dingen
Vor ihm verbreitet, Wonne ſich
Und ſeinem Geiſt ſtets gröſsre Schwingen
In ihrem Aufſchluſs zu erringen.
Doch, armer Erdbewohner, ſprich,
Wohin ſoll, zum voraus verſichert vom Gewinn,
Das Auge deiner Seele dringen?

 Die

Die Welt, des Elends Vaterland,
Der Schauplaz aller Nichtigkeiten,
Verrückungen und Albernheiten,
Iſt gar zu arm für unſern Frieden;
Zu arm, des Schauens Müh uns triftig zu belohnen.
Sieh, wie ihr groſses Narrenfeſt
Zu jeder Zeit, in allen Zonen,
Ihr ſtetes Wechſeln von Grimaſſen und Altären,
Ihr ſteter Drang hin zu — ja, zu Montgolfieren!
Den Mann von feinerm Sinn und richtigerm Verſtand
Nur ſelten lächeln macht; viel öfter ihn hienieden
Bald gähnen und bald ſeufzen läſst.

Heil, Heil dem Mann, den nichts ſo ſehr vergnügt,
Als überall nach Gott zu fragen,
Um ihn den Wurm, den Halm, den Schimmel zu befragen!
Denn ſonder Antwort werden ſie
Fürwahr ihn nie entlaſſen; aber wie,
O, wie wird ſolche ſtets ſein Herz durchglühn! wie wird
Den wilden Forſt, den er durchirrt,
In einen Tempel ſchnell verwandelt er erblicken!
Welch froh Erſtaunen, das aus weitem Aug' ihm quillt!
Ha, welch ein ſchauderndes Entzücken,
Das mit des nahen Gotts Gefühl ſein Herz durchdringt!

Sieh da, mein Freund, Erwartung, die nicht triegt!
Sieh da das Gegengift der ſchärfſten Lebensplagen!
Sieh da bey frühen, ſpäten Tagen
Den Wonnequell, der nie verſiegt!

---

PRAE-

# PRAEFATIO.

Cum priſcus iam Hippocrates artem longam, vitam vero breuem eſſe, queribunda voce moneat, cum inſuper prooemium longum et alte petitum, praeſertim ſi puſillo operi praefigatur, lectores facile faſtidio afficiat: gauderem equidem, ſi fuſiori praefatione opuſculo huic praetexenda ſuperſedere poſſem. Verum enim vero cum, quod hic pertractandum mihi ſumſi argumentum, ipſeque libri titulus inuidioſum quid et altius ſpirans habere videantur: nae, opus, ſuſpicor, mihi, reipublicae botanicae incelebrato ciui, erit, vt Communi, ad quod trepidulus accedo, me annunciem et de inſtituto meo haſce pagellas beneuole lecturis rationem reddam. Age, breuiloquentiam, quoad eius res ſinit, in his exponendis colamus!

Igitur quinque iam ferme luſtra elapſa ſunt, ex quo ſtirpes Mecklenburgenſes inueſtigare atque colligere incepi, ab Ill. Mvrray, Georgiae Auguſtae decore, vt omni opera in id negotii incumberem, per litteras humaniſſimas excitus. Primus ita (abſit inuidia) factus ſum, qui plantas hoc in Ducatu ſponte naſcentes modo ad leges methodi adſtricto congeſſit; Floram nimirum Mecklenburgenſem concinnaturus. At enim cum, neſcio an nimium lentus feſtinarem, an de hac quantum eius fieri poſſit, lautiſſime dotanda nimis ſollicitus eſſem, ſine vla opera mea ac impendio illa compta ſatis ac ditata nuper in publicum prodiit. Ab anno inde MDCCLXXVIII fungi, quos prae caeteris regni vegetabilis ciuibus infauſta caligine merſos indignabundus comperi, me tota mente totisque viribus attraxerunt: primum quidem eo conſilio, vt, quibus me circumfuſum videbam, tenebris diſcuſſis, per ſaltus ſenticoſos ſcabroſosque viam mihi panderem; ſubinde vero facie mirandum in modum varia, ita vt eximia venuſtate ſtirpium nimium quantum vulgo neglectorum ſpretorumque attonitus ac captus. Quamobrem per annos iam duodecim integros, ſtudio temporis ſucceſſu efferueſcente magis, quam deuigeſcente, et

 diuturna

diuturna propemodum opera, regionis huius fungos conquiſiui, comparaui, deſcripſi, depinxi. Ex ampliſſima eorum congerie hoſce tandem ſegregare faſciculatimque publici iuris facere, qui aut ad plane incognitos, aut ſaltem ad nondum rite deſcriptos pictosque pertinent, operae pretium duxi.

Initium iam ab iis facio, qui cum genera hucusque nota plane reſpuere videantur, nouorum, ſub quibus commode militent, condendorum curam mihi impoſuerunt. Quodſi ſint, quibus in creandis eiusmodi nouis generibus forte nimis largus videar, hos, ſibi perſuadeant, enixe rogo, me, ſi nomina noua ac inaudita crepare mihi libuiſſet, numerum eorum facili negotio admodum augere potuiſſe. Sed contra ea de induſtria multa huc facientia ſuppreſſi et complures fungos ſtructura et textura perquam memorabiles etiam nunc ἀκεφαλους in aduerſariis ſcriniisque meis reliqui, ne ſcilicet entium praeter neceſſitatem multiplicandorum cupidus viderer. Expleantur gloriolae iſtius nominatiuae gaudio, qui hanc affectantur; aucupium eius parum ſane pellicere poteſt hominem in aetatis meae gradu decliuo et vanitatis illius, cui nomenclaturae formulaeque loquendi, vt caetera humana, ſubiectae ſunt, teſtem iam veteranum.

Magnorum quorundam Nominum hypotheſes nouas, vel nov, antiquas, de fungorum vera generatione et natura, vt de loco in Syſtemate naturae rite illis aſſignando, nuſpiam neu corroboratum, neue refutatum iui, pacis ſcilicet non minus, quam breuitatis ſtudioſus.

Synonymorum, vt optimi Botanicae ſolidioris praeſidii, omnem curam habui, quod vero rarius fungos hic deſcriptos ſtipent, nemo facile mirabitur, qui hos maxima ex parte ad rariſſimos minimosque pertinere cognouerit.

Icones eorum plerumque admodum ampliatas repraeſentaui, rationibus grauiſſimis a Cryptogamiſtographo laudem meam excedente, celeberrimo Hedwig, allatis eiusque exemplo permotus.

Genera mea ſecundum methodum e diuerſa ſeminum ſede derivatam coagmentaui; alium autem locum SCLEROTIVM in SYNOPSI ſubſequente occupat, alium in libro, ad habitum generis huius et ad obſcuriora quaedam in eo obuia ſi reſpicis, fortaſſe aptiorem.

Sed

Sed vt non omnia poſſumus, ſic non omnia videmus omnes: quare ſi mihi, in naturae minimis partimque aciem oculorum haud hebetem omnino effugientibus verſanti, ſubinde acciderit, vt quaedam obſeruatu digna, quin neceſſaria, non viderim, nemo ſanus, ſpero, hoc mihi vitio vertet, praeſertim cum, vbi coecutire me ſenſi, quid? quod id modo ſuſpicatus ſum, lectoribus animi mei fluctuationem ingenue ſim confeſſus. At poteram quaedam perperam videre, nubem, vt aiunt, pro Iunone amplexus? Omnino poteram; homo enim ſum, ſenſuum ludificationibus non minus, quam ſummus LINNAEVS, argutiſſimus HALLERVS, oculatiſſimus MICHELI, expoſitus. Quod ſi me, ab oculis caeterum laborisque patientia ſic ſatis valentem, humani quid hic illic reapſe paſſum inuenerint viri cordati, aequos manſuetosque iudices ſe mihi praeſtituros confido; inprimis ſi in iis, quae hic tracto, perueſtigandis exponendisque illi ipſi deſudarunt, horum proinde laborum diſcrimina et aerumnas temporis aeque ac oculorum ſuorum impendio probe noſcunt. Caeterorum epicriſes caſſas non valde curo, haec mea qualiacunque ſerae illi diei aequo animo committens, quae ingenii figmenta deſtruit, naturae vero iudicia confirmat.

Quod reliquum eſt, ſi haec mea prima in alienam meſſem falcis immiſſio publica iis arriſiſſe reſciuero, quibus placere curae mihi cordique eſt, faſciculo ſubſequenti Halophyta et Sphaerias, gentes enodatione curatiori digniſſimas, recenſebo. Faxit vero DEVS T. O. M. vt conamina mea in SVI, mirabiliter magni in mirabiliter paruis, gloriam laudationemque cedant.

Scribebam haec PRITZIERI, in Comitatu Schwerinenſi, ipſis Idibus Martii MDCCXC.

---

SYNOPSIS

# SYNOPSIS METHODICA GENERVM.

Semina fungorum ſunt

I. vel nuda — conſpicua

1. in ſuperficie integra fungi (ſeſſilis) SPERMODERMIA.
2. in parte ſuperficiei — ſcil. eius
   a. margine MESENTERICA.
   b. apice ACROSPERMVM.
   c. capitulo integro
      α. glabro
         *) ſolido STILBVM.
         **) concauo ASCOPHORA.
      β. hirſuto MEDVSVLA.
   d. pilei ſuperficie
      α. ſuperna TVBERCVLARIA.
      β. inferna HELOTIVM.

II. vel tecta — (ante tempus fructeſcentiae)

1. volua
   a. fugaci, disrumpenda TYMPANIS. MYROTHECIVM. VOLVTELLA.
   b. perſiſtente, findenda HYSTERIVM.
2. cortice fatiſcente VERMICVLARIA.
3. ſubſtantia fungi
   a. ſeſſilis SCLEROTIVM. PYRENIVM. XYLOSTROMA.
   b. ſtipitati CHORDOSTYLVM.
4. Vaſculo peculiari ſeminifero — (*Fungi eiaculatorii ſeu Carpoboli.*)
   a. ſolido PILOBOLVS. THELEOBOLVS.
   b. veſiculari SPHAEROBOLVS. ATRACTOBOLVS.

# I. SPERMODERMIA.

Fungus ſimpliciſſimus, globoſus, ſeſſilis: ſubſtantia ſpongioſa; polline ſeminali conferto corticis vicem ſubeunte.

## 1. SPERMODERMIA *clandeſtina*.

S. pulvinata, perennis; ſeminibus atris.

In corticis quercini putreſcentis ſuperficie interna ſparſim nidulantur fungilli pulvinati, ſeſſiles, duarum vel trium linearum diametro; ſubſtantia ſpongioſa, ſucculenta, coloris e fulvo fuſceſcentis; ſeminibus minutiſſimis, rotundis, nitentibus, atris, confertis, corticem mentientibus. Majo & Septembri inveni.

OBS. Corticem apparentem ex ipſis ſeminibus eſſe conflatum inde conſtat, quod ea partim dejecta ad baſin fungorum cernuntur.

Figurae explicatio.

Tab. I. fig. 1.

a. Fungi cortici arboreo inſiti magnitudine naturali.

b. c. Fungus cortici exemtus, lente vitrea auctus,

b. integer,

c. ad amuſſim ſectus.

# II. SCLEROTIVM.

Fungus ſimpliciſſimus, globoſo-oblongus: ſubſtantia tenaci, duriuſcula, centro demum ſubhiante; cortice inſeparabili, ſuperne nunquam dehiſcente; fructificatione interna, ignota.

OBS. Notis hisce genus novum a Lycoperdo ſatis diſpeſcitur.

## 1. SCLEROTIVM *purpureum.*

S. ovale, perpendiculare, glaberrimum, minimum, ſparſum.

Oculo ſolummodo armato conſpicuum, non niſi ſemel a me, in ramuli quippe quernei dejecti plaga quadam epidermidis experte deprehenſum, initio Martii. Forma ovalis; ſuperficies glaberrima, nitidiuſcula purpurea; ſubſtantia prædura; baſis in cortice defixa.

OBS. Sub hoc genere militare juſſi fungillum non ſolum ob naturam rigidam, ſed quoque ob germinationem ejus vernalem, utpote quæ in Sclerotiis eſt characteriſtica.

Figurae explicatio.

Tab. I. fig. 2.

Fungi magnitudine aucta.

## 2. SCLEROTIVM *immerſum.*

S. ovale, decumbens, glabrum, aequale.

*α.* luteſcens.

Figura plerumque ovalis, interdum rotundata, pulvinata; ſubſtantia alba, duriuſcule valida; cortex inſeparabilis, nunquam corrugandus, ſtraminei coloris. Longitudo fungi differt a ſemilineari ad linearem & ultra. In ſuperficie ramulorum emortuorum primo vere ita provenit, ut rupta epidermide cortici eorum quaſi immerſus appareat.

OBS. Memorabile mihi videtur, volumen fungi ſeneſcentis palam imminui, ita tamen, ut ſuperficies ejus nunquam rugoſa evadat.

Figurae explicatio.

Tab. I. fig. 3.

## II. SCLEROTIVM.

a. Fungi magnitudine & ſitu naturali.

b. c. Fungus lente ſpectatus,

b. a latere viſus;

c. deſuper ſectus.

β. album.

Colore cutis modo alba, nonnunquam candida, a varietate α diverſum. Aſt non in corticibus ſolum ramorum putreſcentium, ſed quoque radicum arentium, v. c. Crataegi Oxyacanthae, protuberat, ibi minus immerſum, quam alias, & forma ſæpiuſcule globoſa.

γ. clandeſtinum. = S. vulgatum? Fr.

In ſuperficie averſa corticis frondis quercinæ putreſcentis ſemel inveni initio Aprilis. Figura plerumque ovato-oblonga, ſubſinuata, compreſſa, ſæpiuscule inæquali; colore dilute paleaceo; longitudo interdum trium linearum. In rimis corticis arborei ſedem ſibi figit fungus rariſſimis annumerandus.

Figurae explicatio.

Tab. I. fig. 4.

a. Fungi cortici arboreo immerſi magnitudine naturali.

b. Fungus a cortice ſemotus.

c. Idem ſecundum longitudinem diſſectus.

## 3. SCLEROTIVM *ſubterraneum.*

S. globoſo-difforme, aggregatum, ſubterraneum.

α. muſcorum. Rhizoctonia muscorum, Fr.

Radicibus muſcorum denſe adhærent fungi rotundati, coloris aurei, ſuperficie tuberculoſi, 2-3 lineares, formam demum admodum variam induentes; ſubſtantia concolore, compacta, ſubſucculenta, inſipida; cute membranacea, glabra. Semel inveni varietatem hanc ſub initium Julii.

Figurae explicatio.

Tab. I. fig. 5.

a. Fungi magnitudine ac ſitu naturali;

b. Fungus a loco natali remotus.

β. truncorum. = S. truncorum, Fr.

Proveniens fungus, ſemen ſinapis magnitudine haud æquans, ſuccreſcendo demum 3-6 linearum menſuram longitudine ſuperat, tuberculoſus, ut præcedens varietas, evadens, quacum omnino fere convenit, excepto magnitudine & ſubſtantiæ colore albo. Immenſum numerum horum fungorum, haud raro connatorum, reperi ad radicem annoſæ cujusdam quercus ſucciſæ circumfuſum, in ſuperficie propemodum terræ, ſeu vix ac ne vix quidem hac tectum. Menſe Auguſto.

OBS. Varietas haecce ortum dat Agarico cuidam e numeroſa familia, quam Moucerons Galli vocant, (Agaricus eſculentus *Murr. Syſt.* 14. *p.* 976.) & in hac ſpeciatim ad eos pertinenti, quorum character peculiaris pileus fucatus eſt. Agaricus iſte proxime accedens ad illum, quem *Schaefferus* pinxit *tab.* 59, ſubſtantiam integram fungi noſtri tam avide conſumit & in ſuccum ac ſanguinem convertit, ut de hoc demum nil niſi cutis remaneat.

## Figurae explicatio.

Tab. I. fig. 5. c. d.

c. Fungus magnitudine naturali.

d. Idem transverſim ſectus.

# 4. SCLEROTIVM *Semen.* = S. Semen, Fr.

S. ſphæricum, nigreſcens, corrugandum, ſparſum.

Sphæria Braſſicæ *Dickſon pl. cryptog. p.* 23, ob ſynonyma, quibus adde *Relh. Cantabr. n.* 1057.

Sphærula magnitudine ſeminis ſinapis, ſed ſæpe lineari ſesquilineari que diametro, glaberrima, initio nivea, mox flaveſcens, tum fulva, poſt fuſca, demum nigra, cute tum in rugulas contracta. Subſtantia ſolida, rigidula, attamen ſucculenta, alba. Primo vere, quin durante adhuc hyeme, in omnis generis plantarum foliis caulibusque, humi jacentibus, & putredine correptis, ubique fere locorum in conſpectum venit fungus, jam ſparſim, jam vero denſiore agmine proveniens, firmiterque plantis ope rudimenti ſtyli adhærens, rugas autem nactus ſponte decidit.

## Figurae explicatio.

Tab. I. fig. 6.

a. Fungi aetate impares, magnitudine naturali.

b. c. Fungus amplificatus:

b. vetu-

b. vetulus,

c. per centrum ſectus.

## 5. SCLEROTIVM *Mucor.*

S. ellipticum, decumbens, aggregatum.

*α.* fungorum.

In fungis putridis maculæ apparent albidæ, quæ lente perluſtratæ corpora elliptica, glabra, congeſta manifeſtant. Color albicans in fungo ſeneſcente fit cinereus. Durities ejus tactu ſe prodit. Auguſto.

Figurae explicatio.

Tab. I. fig. 7.

a. Fungorum congeries magnitudine nativa.

b. Fungus per lentem viſus.

*β.* lignorum.

Granis ſiligineis quoad figuram ſimilis fungus tam parvus eſt, ut aciem oculorum vulgarem facile effugiat. Color cutis fulvus, fuſceſcens; ſubſtantiæ albus. Gregatim in feſtucis, fruſtulisque lignorum creſcit Aprili, perrarus.

## 6. SCLEROTIVM *radicatum.*

S. ſphaericum, baſi producta, radicatum, ſparſum.

Terreſtris, ater, ſparſim proveniens fungus ad medium usque a ſolo prominens, diametro ferme lineari. Pellicula lævis, membranacea; ſubſtantia compacta, ſubſucculenta, in centro demum dehiſcens; radix fibroſa. Semel inveni, ſolo humido, umbroſo, Septembri.

Figurae explicatio.

Tab. I. fig 8.

a. Fungi magnitudine ac ſitu naturali.

b. Fungus terra extractus.

c. Idem verticaliter ſectus.

## 7. SCLEROTIVM *complanatum.*

S. pyriforme, complanatum; ſtipite breviſſimo.

Prodiens fungus ovato-elongatus, laevis, ſubpellucidus, albus, ſuperne ſenſim dilata-

dilatatur, pyri formam obtinens, ſimul flaveſcit, fulvum mox, denique vero e fuſco ferrugineum colorem aſſumit, jam plane opacus; ſucceſſu ſimul temporis adeo comprimitur, ut demum complanatus evadat. Veri nominis cutis an adſit, adhuc dubium; ſaltim illa eſt a carne inſeparabilis. Subſtantia alba, tam tenax in fungo adulto, ut cartilagineam non immerito vocaveris; attamen initio ſucci eſt plena. Superficies fungi exoleti corrugatur & tum ſemina minutiſſima, ovalia, nitidula, alba, eam quaſi incruſtant. Stylum cylindricum, breviſſimum, ochraceum, ubi capitulo jungitur, circumfluit circulus coccineus. Appropinquante vere, quin etiam medio hyeme ſub nive, fungus hic, 2 lineas plerumque longus, putreſcentibus foliis, culmis caulibusque ſparſim inſidet; ſed hyeme abeunte ſimul diſparet, poſtea non inveniendus.

OBS. Species hæc ob fructificationem externam & ſtipitem admodum a reliquarum natura abludit, ad Stilba mea, de quibus infra, fortaſſis ableganda: ſed obeſt ſubſtantia dura, interne demum dehiſcens.

### Figurae explicatio.

Tab. I. fig. 9.

a. Fungi ætate prima, florente, provecta.
b-d. Fungus lente ampliatus,
 b. junior,
 c. ſub tempus fructeſcentiæ,
 d. adultus, e vertice ſectus.

## 8. SCLEROTIVM *villoſum.*

S. ſphaericum, villoſum, aggregatum.

α. album.

Magnitudine arenulæ modicæ; color corticis melleus, villarum albidus; ſubſtantia alba, duriuſcula, e centro perpendiculariter ad baſin usque exterebrata. In caulibus Solani tuberoſi ſemiputridis. Aprili & Majo, frequentiſſime.

### Figurae explicatio.

Tab. I. fig. 10.

a. Fungi aggregati, magnitudine naturali.
b. c. Fungus lente adauctus.

b. a latere ſpectatus.

c. ad amuſſim per centrum ſectus.

β. ferrugineum.

Color villarum huic varietati amœne ferrugineus; ſeneſcens eundem in modum exterebrata reperitur; ſed a vertice, villis non obſito, per centrum deorſum. In cæteris utraque varietas conveniunt, magnitudine puta, figura, colore, nec non tempore locoque natalibus.

OBS. Maſſam hujus ſpeciei, ut plerarumque hoc genere comprehenſarum, demum hiulcare, nullum eſt dubium; ſed an ſemper in varietate utraque eo, qui hic traditur, modo fiat, res forte eſt altioris indaginis. Commemoro quæ vidi & ut vidi.

Figurae explicatio.

Tab. I. fig. II.

Fungus mole auctiore.

# III. MESENTERICA.

Expanſum gelatinoſum, venoſum; margine fructificante.

## I. MESENTERICA *tremelloides.*

M. gelatinoſa repens, complanata, venoſa; margine tumido.

α. lutea.

Mucilago, citrino vel aureo colore, nodulo ſimilis, præviis imbribus a ramis deciduis ſecamentisque lignorum pullulat, mox in venas ſerpentes, fili modici craſſitie, diſtrahenda, quarum ſubſequentes ramificationes membranula gelatinoſa, ſulphurea, interdum virideſcente, rugoſa, invicem ita junguntur, ut meſenteriforme expanſum conſtituant. Margo tum intumeſcit, læte luteum colorem aſſumens: quare de hoc ceu ſede fructificationis videtur non eſſe dubitandum. Ambitus fungi ellipticus Agaricorum dimidiatorum, margine ſinuato lobato. Diametro majori 2-3 uncias aequat. Tempore vernali pluries, ſed & auctumno inveni.

OBS. Planta delicata intra 12 horarum ſpatium aura calidiore ita corripitur, ut præter bracteolas quasdam minutiſſimas, conglomeratas, nullum ſui veſtigium relinquat.

Figurae

Figurae explicatio.

Tab. II. fig. 12.

a. Fungus magnitudine naturali.

b. Ejus primordia.

β. caerulea.

Colore tantum glauco-cæruleo a varietate α diſcrepat. Semel mihi obviam facta menſe Septembri, in aſſula ſemiputrida.

# IV. ACROSPERMVM.

Fungus ſimpliciſſimus, ſubereƈtus, apice extus fruƈtificante.

## 1. ACROSPERMVM *compreſſum.* = v Jr

A. perpendiculare, ovato-elongatum, compreſſum, rigidiſſimum.

Fungus perennans, linea aliquantulum longior, Clavariam ſimulans, rigidiſſimus; cute lævi, membranacea, a carne inſeparabili, olivacea, demum nigreſcente; ſubſtantia glutinoſa, cito indureſcente, alba. Apicem verſus e rugis, ſeu ſulcis, quibusdam circularibus, parallelis, pollen erumpit candidum, quo mox acumen integrum obtegitur. Fruƈteſcentia peraƈta ſemina auræ afflatu avehuntur, fungo demum complanato & longitudinaliter ſulcato. Veris initio ſparſim creſcit in caulibus aridis habitioribus & firmioribus plantarum, v. c. Heraclei Sphondillii L.

Figurae explicatio.

Tab. II. fig. 13.

a. Fungi magnitudine & ſitu naturali.

b-f. Fungus eximie amplificatus.

b. Sub tempus fruƈteſcentiæ.

c. Fruƈteſcentia incipiente.

d. Eadem completa.

e. Fungus decrepitus.

f. Fungus ſecundum longitudinem ſeƈtus.

2. ACROS-

## 2. ACROSPERMVM *unguinoſum.* = Tremella sarcoides β.

A. perpendiculare, digitato-ceſpitoſum, unguinoſum, apice tumido.

Deſcriptam pictamque dedi hanc ſpeciem *in deu Schriften der Berlin. Geſellſch. naturforſch. Fr. vol.* IV. *p.* 64. *tab.* 12.

## 3. ACROSPERMVM *pyramidale.* γ Fr.

A. perpendiculare, ovato-acuminatum, duriſſimum, ſolitarium.

Fungus principio candidiſſimus, ſubulatus, pubeſcens, adultior glabreſcit, præſertim apice, ſimul inferne attenuatur. Colorem jam induit pallide roſeum, apice excepto, pulviſculo utpote ſeminali candido tum conſperſo. Cutis inſeparabilis a carne ſolidiſſima, ſucculenta, colore alba & rubella, marmoris inſtar, variegata. Radix tenera, byſſina, candida. Trium ferme linearum longitudinem fungus rariſſimus aſſequitur, unam latus. Inveni in Agarico delicioſo L. exareſacto Aprili.

OBS. Lubentiſſime equidem ob habitum Sclerotiis annumerarem, ni pollen in apice obſtaret.

### Figurae explicatio.

Tab. II. fig. 14.

a. Fungi aetatis diverſæ, magnitudine nativa.
b. Fungus junior ſede ſemotus.
c. Fungus in ſtatu fructeſcentiæ.
d. Idem diſſectus, volumine aucto.

## 4. ACROSPERMVM *lichenoides.* = Lichen.

A. decumbens, ſtellare: laciniis rectilineis, compreſſis; apicibus ſub-bifidis, tumidis.

Singularis admodum planta, Lichenibus quidem foliaceis decumbentibus perquam ſimilis, ab illo genere veruntamen ſeparat ſcutellorum tuberculorumque abſentia, ut ſubſtantia ſolida, fibroſa. Provenit in omnis generis ramis ramulisque arborum ac fructicum, humi jacentibus & pluvia crebra madefactis. Forma ejus ſtellaris; ſuperficie fulvo-ferruginea, ſubtomentoſa, æquali. Laciniarum haud raro inciſi apices obtuſi tumeſcentes, flavidi, tempore fructeſcentiæ polline albo induuntur. Carnoſus ſatis fungus; ſed caro alba, fibroſa, tenaciſſima, ſenſim tabeſcit fragilisque fit; laciniarum vero ſuperficies rugoſa. Apicem verſus hae pilis brevibus

inſtructæ firmiter adhærent ramis, quos ſerpendo arripiunt & digitorum in morem nonnunquam amplectuntur. Fungus denique in centro nigreſcit ibique dehiſcens tandem rumpitur. Diameter ejus 2-3 unciarum. Auctumno viget, ſed raro obvenit.

Figurae explicatio.

Tab. II. fig. 15.

a. Fungus adultus magnitudine naturali.

b. Fungus ſeneſcens eadem magnitudine.

OBS. Vereor ſane, ne fungus abnormis quibusdam huc magis compactus, quam reliquis hujus generis ſpeciebus amice conſociatus videatur; ſed profecto, quo me tandem cum eo vergam, neſcio.

# V. STILBVM.

Fungus ſtipitatus, gelatinoſus, aggregatus; capitulo diaphano, nitente, ſolido, perſiſtente, externe fructificante.

## 1. STILBVM *vulgare.* v Fr.

S. capitulo ſphærico; ſtipite cylindrico, craſſiuſculo.

Adeo parvum, ut nudo oculo ægre agnoſcatur. Album colorem mox in ochraceum mutat, in capitulo ſaturatiorem. Seminibus hoc albis conſpergitur, minimis, rotundis. Stipes æque nitidus, ac capitulum. Fungus denique decumbit. In caudicibus variorum arborum ſemiputridis, auctumno frequentiſſimus.

Figurae explicatio.

Tab. II. fig. 16.

a. Fungorum turma magnitudine naturali pictorum.

b. Fungi quidam forma admodum extenſa.

## 2. STILBVM *bulboſum.* v Fr.

S. capitulo ſphærico, ſtipite attenuato, bulboſo.

Stipes vix viſibilis, lævis, primo attenuatus, tandem vero cylindricus, debilis, ſubflexuoſus, deſinit in bulbum hemiſphæricum, glabrum, griſeum, qui ſenſim compreſſus denique vero complanatus fit, colore in ochraceum mutato. Capitulum

album

albnm pulviſculo ſeminali ochroleuco obducitur. Auctumno poſt pluvias denſas obvenit, ſed rariuscule, in culmis, ſtipulis foliisque putridis, ſuperne tectis, unde ad fungos ſubterraneos merito referendus hic noſter. Fabrica ejus tam tenella, ut microſcopio admoto illico flacceſcat. Rudius commoti capitula decidunt. Magnitudo ſesquilinearis.

### Figurae explicatio.

Tab. II. fig. 17.

a. Fungorum magnitudine naturali pictorum agmen.

b-d. Fungus admodum auctus:

- b. tempore fructeſcentiæ;
- c. effœtus;
- d. emortuus

## 3. STILBVM *rubicundum.* + Fr.

S. capitulo ovato, compreſſo; ſtipite attenuato.

E minimis, vix ac ne vix quidem oculo haud armato contemplabilis. Capitulum candidum, pellucidum, ovato-compreſſum; pollen ejusdem coloris; ſtipes lævis, ſubpellucidus, capillari-attenuatus, rubicundus, demum luteſcens. In caudicibus fagorum, recens cæſarum, e quarum ſucco extravaſante, inſpiſſato, ita ſtipes emergit, ut inferne Perichætio cinctus videatur. Aeſtate haud raro obvenit.

### Figurae explicatio.

Tab. II. fig. 18.

Fungi juniores, ſeniores, magnitudine naturam longe excedente.

## 4. STILBVM *minimum.*

S. capitulo ovali, compreſſo, ſtipite capillari.

α. nigripes. = S. xanthocephalum, Fr.

Sui generis minimus, non niſi lentis ope diſtincte cognoſcendus fungillus capitulo elongato-ovali, admodum nitente, paleacei coloris, oculos mox allicit. Stipes capillaris, rigidulus, griſeus, demum nigreſcens. Longe lateque agmine denſiſſimo perrepit ligna humida putreſcentia; præcipue vero ramulis quercinis, putredine correptis, inhabitat. Martio, Aprili ſatis frequens.

Figurae explicatio.

Tab. II. fig. 19.

Fungi admodnm ampliati in ſitu naturali.

β. flavipes. = S. luteum, Fr.

A varietata priori differt capitulo non ita elongato, aureo, & ſtipite luteo, qui cum pellucidus ſit, de latere viſus albus apparet. Lignarius æque; ſed multo rarior. In trunco conſpicatus ſum ſubputrido fagi, Julio.

## 5. STILBVM *turbinatum.* , & Fr.

S. capitulo turbinato; ſtipite cylindrico, ad capitulum contracto.

Fungus delicatiſſimus, lineam circiter longus, oculo nudo vix commode viſibilis. Capitulum, pyri inverſi, apice compreſſi, forma, ochraceum, ſi ſoli obvertitur, ſuperne fulvum colorem prodit. Fructeſcentiæ tempore polline ſeminali albo conſpergitur. Stipes gelatinoſus, debilis, ſuperne albus, pulverulentus; inferne glaber, ſubpellucidus, dilute ochraceus. Inveni Martio in libro putreſcente caudicis faginei.

Figurae explicatio.

Tab. II. fig. 20.

a. Fungi magnitudine & ſitu naturali.

b. Fungus adoleſcens & fructificans, uterque magnitudine impenſe aucta.

## 6. STILBVM *pubidum.* & Fr.

S. capitulo ovato; ſtipite inferne incraſſato, pubido.

Admodum parvum delicatulumque, ut præcedens ſpecies. Capitulum exacte ovale e guttula limpidiſſima intra 24 horarum ſpatium condenſatur & pelluciditatem amittit, colorem tum candidum aſſumens a polline, mox integram ejus ſuperficiem occupante. Stipes candidus, capillaris, tenuiſſimus, lævis, a medio ad baſin uſque duplo craſſior. Superficies integra ſtyli incraſſati filamentis byſſinis, longiuſculis, rigidiuſculis, diviſis, ſquarroſis, candidis, hirta. Reperi in foliis pinus ſylveſtris putridis poſt pluvias tonitrua comitantes, Auguſto.

Figurae explicatio.

Tab. II. fig. 21.

a. Fungi magnitudine ac ſitu naturali.

b. c.

b. c. arbitrarie auctus

b. ante ſtatum fructeſcentiae;

c. hoc in ſtatu.

# VI. ASCOPHORA.

Fungus erectus, ſtipitatus: capitulo globoſo-oblongo, inflato, opaco, elaſtico, externe fructificante; ſtipite ſetaceo.

### *) *Liberae.*

## 1. ASCOPHORA *Mucedo.*

A. libera, aggregata: capitulo ſphaerico ad ſtipitem rumpendo; ſtipite ſetaceo, longo.

Nudis oculis ſpectatus fungus Mucori Mucedini L. quam ſimillimus apparet; aſt enim vero valde ab illo differre microſcopii uſus curioſior illico docet. Capitulum, initio guttula aquea, pellucida, poſtquam ſtipitem nactum eſt, diaphanum eſſe deſinit cavumque ſit, colorem jam fuſcum, mox atreſcentem monſtrans. Superficies ejus pulviſculo longe minutiſſimo, albido-griſeo, quaſi afflata tum videtur, polline ſcilicet ſeminali delicatiſſimo. Rumpitur vero hoc capitulum ſemina explodens, vi quadam elaſtica, ad inſertionem ſtyli eo pacto, ut cutis quaquavorſum ab illo ſecedentis margo aperturam perexiguam, circularem in capituli baſi efficiat. Quod cum a ſtipite liberatum collabaſcat, ab hoc ita exipitur, ut nutans in ſuperficiei internae vertice ſuffulciatur. Ruptura pedetentim tam dilatatur, ut capitulum denique formam hemiſphaericam, ſeu cupulae inverſae, induat. Stipitis ſemper pellucidi, trilinearis, color primum albus, poſtea e cinereo nigreſcens. Obvenit in panibus ſimilagineis muceſcentibus.

### Figurae explicatio.

Tab. II. fig. 22.

a. Fungillorum agmen magnitudine nativa pictorum.

b-h. Fungus quam maxime auctus:

b. junior, capitulo pellucido;

c. idem, capitulo nigreſcente;



d. adultus,

d. adultus, in ſtatu fructeſcentiæ;
e. ſeneſcens, capitulo ad ſtylum rupto;
f. Capitulum ſtipitis apice titubans, diſſectum;
g. idem hians ad extremum;
h. idem e vertice ſectum, tempore fructeſcentiæ.

## 2. ASCOPHORA *fragilis.* dubium.

A. libera, conferta: capitulo ſphærico, in medio diſſiliente; ſtipite ſetaceo, breviuſculo.

An Mucor IV. a. *Gled. Method. p.* 162?

Globuli arenulæ magnitudine, albidi, conferti, initio ſeſſiles, poſtmodum ſtipite ejusdem coloris, brevi, pellucido inſtructi. Capitula a polline ſeminali candeſcentia, leviter tacta diſſiliunt. In carnibus elixis repoſitis, præcipue in apice linguarum bubularum ante 3, 4. dies coctarum.

OBS. Dubius fungum huc voco, naturam licet Aſcophorarum omnino prodat; fragilitas enim ab illa quodammodo abhorrere videtur.

Figurae explicatio.

Tab. III. fig. 23.

a. Fungorum ceſpes magnitudine naturali pictorum.
b. Fungi lente ampliati.

## 3. ASCOPHORA *Stilbum.* = Hydrophora equina

A. libera, ſparſa: capitulo ovato, nitido; ſtipite ſetaceo, breviſſimo.

Ad minimos, qui unquam ſe mihi obtulerunt, fungos pertinet, non niſi lentis ope ſub aſpectum veniens. Capitulum ante fructeſcentiæ ſtatum candidum, nitidiſſimum. Stylus hoc brevior, ejusdem vero coloris. Semina non vidi; nec diſſecare tantillæ molis fungum mihi poſſibile fuit: quare plura de eo commemorare nequeo, pari jure fortaſſe Stilbis annumerando. In fimo equino non plane recenti, extus intusve, auctumno.

Figurae explicatio.

Tab. III. fig. 24.

Fungus, uti ſub lente apparet.

4. ASCO-

## 4. ASCOPHORA *ovalis.* = ovula Insectorum

A. libera, ſparſa: capitulo ovali, demum corrugando & multifariam ſubrumpendo; ſtipite ſetaceo, longiuſculo.

Aſcidium ovatum (*mihi*) *in den Schriften der Berl. Geſellſch. naturf. Freunde, Vol.* III. *p.* 247. *tab.* 4. *fig.* 4-6.

Deſcriptionem amplam de fungo hoc peramœno & rariori l. c. jam dedi, quam hic repetere non lubet. Ad ea, quæ ibi ſunt dicta, ſollummodo adjiciam, ad indolem ejus pertinere, quod apices ramorum, lignorumque occupare amet. Capitulum poſt ſtylum progerminat, guttulæ aquæ limpidiſſimæ ſimile; ſed in formam mox abit ovalem & priusquam a ſemine niveo conſpergitur, argenti inſtar nitet. Stipes attenuatus in baſin deltoideam terminatur. Cutis capituli admodum tenax & membranoſa non ſemper, modo ſaltim viſibili, rumpitur; contrahitur autem ſemper poſt fructeſcentiam plus minus in varias rugas. Fungillus exinde nullam ferme mutationem externam ſubire videtur; aſſervo enim ejus exempla quædam jam decennalia, ſed adhuc incorrupta. Septembri & menſibus proxime ſequentibus poſt pluvias frequentiores.

OBS. Evitandæ ἀμφιβολίας cauſa nomen generis Aſcidium cum Aſcophora commutavi, cum in regno animali, ut poſtea vidi, Aſcidia nomen genericum conſtituat.

## 5. ASCOPHORA *cylindrica.* = ovula insectorum.

A. libera, gregaria: capitulo cylindrico, corrugando; ſtipite ſetaceo, breviuſculo.

Aſcidium cylindricum (*mihi*) *in den Schriften der Berlin. Geſellſch. naturf. Freunde, Vol* III. *p.* 248. *tab.* 4. *fig.* 7-9.

Ad ea, quæ l. c. de hac ſpecie commemoravi, non habeo quod addam.

### **) *Aggregatae.*

## 6. ASCOPHORA *limbiflora.* = status Cladosp. vel ...

A. aggregata, limbiflora: receptaculi communis convexi, demum depreſſi, margine fructificante; capitulis globoſis, nutantibus, deciduis; ſtipitibus capillaribus, laxis.

In ſuperficie adverſa foliorum Rubi idaei ſparſim prodeunt tubercula convexa, ſeminis papaveris magnitudine, fulvi flaveſcentis coloris; ſubſtantia ſubmolli, ſuperficie æquali. Depreſſa ſenſim facta Pezizam imitantur. E margine eorum confertim erumpunt globuli lutei, ſtipitati, penduli & decidui. Floret Junio.

Figurae

Figurae explicatio.

Tab. III. fig. 25.

a. Placentulæ fungiferæ magnitudine naturali.

b-f. Fungus faſciculatus admodum auctus:

b. proveniens;

c. ſub initium fructeſcentiæ;

d. in ipſo fructeſcentiæ ſtatu.

e. Ichnographia fungi in hoc ſtatu deſuper ſecti.

f. Capitulum ſtipitatum.

## 7. ASCOPHORA *diſciflora.* = Phragmidium.

A. aggregata, diſciflora: receptaculo communi convexo; capitulis ovato-elongatis, deciduis; ſtipitibus ſetaceis.

*α.* ſolida.

In ſuperficie foliorum averſa Roſæ albæ hortenſis, quin in ipſis calycum ſegmentis, gregatim prodeunt corpuſcula rotunda, complanata, puncti majuſculi menſura; ſubſtantia ſubſolida, colole aureo, area granulata, margine æquali. Ex his propullulant confertim fungilli capitulis ovato-elongatis, polline ex nigro ſaturate ſpadiceo inductis, ſubnutantibus, deciduis; ſtipitibus tenuiſſimis, pellucidis.

OBS. Varietatem hanc indigitare videtur *Gleditſchius* in epicriſi Aſcidio ovato, a me deſcripto, ſubjuncta *in den Schriften der Berlin Geſellſch. naturf. Freunde. Vol.* III, *p.* 250.

Figurae explicatio.

Tab. III. fig. 26.

a. Placentulæ fungiferæ magnitudine naturali.

b. Eaedem lente auctæ.

c-d. Icones fungi admodum amplificati:

c. ante tempus fructeſcentiæ;

d. ſub initium ejus;

e. in ſtatu fructeſcentiæ ipſo.

f. Capitulum ſolitarium fructificans, ſtylo inſidens, forma extenſiſſima.

*β.* byſſina.

Receptaculum commune, ſeu placenta fungifera, in hac varietate texturam byſſinam

byſſinam habet, quare tabeſcit, & denique vix ſui veſtigium relinquit. Capitula tam elongata, ut haud incommode cylindrica dixeris. Quoad reliqua cum varietate α congruit. In ſuperficie averſa foliorum Rubi idaci, Septembri, rarius.

Figurae explicatio.

Tab. III. fig. 27.

c. Placentulæ fungiferæ magnitudine naturali.

b. Placentula ſolitaria fructificans maximopere aucta.

OBS. Dubius admodum & ferme anxius poſtremam hanc ſpeciem cum præcedente Aſcophoris adjungo, cum ab illis nimium recedere mihi videantur. Receptaculum & capitula majuſcula, ponderoſa, naturam ſane ſingularem & ab aliis notis fungorum generibus admodum diverſam manifeſto indicant. Pucciniis quidem *Micheli* accedunt; at in his ſemina ſingulatim pediculo ſunt inſtructa, quod longe aliter hic habet, capitulo nimirum ſeminifero ſtipitibus ſingulis inſidente. Adde quod in Pucciniis corpus fructificans ſit erectum, fiſtuloſum, ſubdigitatum; ſed vereor, ne vel harum ſtructura & fructificatio jam ſatis ſit explorata.

# VII. MEDVSVLA.

Fungus globoſus, ſtipitatus, confertus: capitulo & ſtipite ſolidis; fructificatione externa, filiformi, flexili, colliqueſcente.

OBS. A Sphaeriis differt ſtylo, capitulique ſtructura; ab Aſpergillis *Mich.* filis ſeminalibus flexuoſis, liqueſcentibus, & ſtipite habitiori, breviori; Trichias *Hall.* facie ſolummodo æmulatur.

## 1. MEDVSVLA *labyrinthica.*

M. conferta, humilis, labyrinthica, lutea.

Fungus quantus quantus lineæ dimidiatæ longitudinem vix aſſequens, denſo agmine progerminat. Capitulum globoſum, ſolidum, ſubſtantia fibroſa, colore teſtaceo, villis luteis hirtum. Stipes brevis, teres, craſſus, tomentoſus, farctus, capitulo concolor. Unius ubique capitelli villi denſi & flexuoſi contiguo proximorum fungulorum capillitio ita intricantur, ut tota congeries ſtratum quoddam tomentoſum oculo armato ſiſtat, ſulcis labyrinthicis ubique peraratum. Liquefiunt villi hi, ſeu filamenta, & liquamen hoc confluens in cruſtulam poſtea concreſcit re-

C ſinoſam,

ſinoſam, friabilem, aurantiam, integrum fungorum ceſpitem ſuperne obtegentem: quare nil obſtare videtur, quominus villos hoſce pro ſede fructificationis habeamus, nimirum aut ex ſeminibus ipſis contiguis, ſeu conſertis, conflatos; aut hæc maſſæ cuidam viſcidæ immixta continentes. Fungorum ceſpites 1-2 uncias longi, 2-3 lineas lati. Inveni horum perplures in trunco Mali aſciato, jam dudum ſub dio jacente, poſt imbres iteratos, initio Septembris.

### Figurae explicatio.

Tab. III. fig. 28.

a. Ceſpes fungorum magnitudine naturali.
b. Idem amplificatus
  c. deſuper viſus;
  d. transverſim viſus.
e. Fungus ſolitarius tempore fructeſcentiæ, lente auctus.
f. Idem e vertice ſectus.

# VIII. TVBERCVLARIA.

Fungus pileatus, ſtipitatus, gelatinoſus: pileo tuberculoſo-papillato, ſtipiti arcte appreſſo, ſuperficie ſuperna fructificante; ſtipite craſſiſſimo, farcto.

OBS. Non confundendum genus hoc cum Tubercularia clar. *Wiggers Primit. p.* 87. A Lachno *Retzii Prodr. n.* 1647 habitu diſcrepat; cum Tremellis vero, genere huc usque vulgivago, ſubſtantia ſolum gelatinoſa convenit.

## 1. TVBERCVLARIA *vulgaris*.

T. ſparſa: ſtipite ventricoſo-globoſo; pileo convexo, tuberculoſo-rugoſo, margine ſubrepando.

*α.* ſubſeſſilis.

Tremella purpurea *Hoffm. Veget. cryptog. p.* 29. *Tab.* 6. *f.* 2. Synonyma quoque ibi vide, quibus addenda

Sphæria tremelloides *Willden. Berol.* 1210. *Timm. Megap. n.* 1172.

Deſcriptionem fungi vulgatiſſimi accuratam & amplam cel. *Hoffmannus* dedit l. c.

l. c. Lapidibus, ut vocantur, cancrorum adſpectu quam ſimillimus, capitulo plerumque acus mediocris magnitudine. Pileus vel miniatus, vel purpureus, vel rufus, vel badius, ſuperficie initio æquali; ſed demum plerumque undato-tuberculoſa, ſulcoque uno ac altero notata; margine profunde appreſſo, interdum ſemel inciſo. Subſtantia cerea, rubicunda, aquæ immerſa naturam prodit gelatinoſam. Semina minutiſſima, globoſa, albida, fructeſcentiæ tempore integram pileoli aream occupant. Stipes ventricoſo-globoſus, baſi acuminatus, glaber, farctus, fibroſus, externe interneque ex ſpadiceo fuſcus, pileo quaſi eſt immerſus, ad inſertionem ab hoc linea badia diſtinctus. Totus ferme in corticibus frondium ramorumque arentium abditus latet, pileo epidermidem perforante. Lætiſſime viget in ramulis reſectis & emortuis Aeſculi Hippocaſtani *L.* tempore hyberno & vernali.

OBS. 1. Haud raro in fungi grandævi putreſcentis ſtipite intrinſecus & extrinſecus circum ejus baſin globuli confertim generantur minimi, ovales, cinnabarini, vertice pertuſi, ſuperficie glaberrima, papillata, quos intus tum inanes, ſuperficie ejusdem coloris æquali, nitente; tum vero mucilagine rubra plenos inveni (Septembri) id, quod Sphæriæ ſpeciem fragiformem manifeſtat, ad Sphæriam rubram *Wigg. Holſ. n. 935. Willden. Berol. n. 1209*, niſi illa ipſa eſt, (orificii enim diverſa ſtructura exiguum in Sphæriis diſtinguendis, combinandis momentum affert) proxime accedentem. Sphæria hæc dubio procul in cauſa fuit, ut cel. *Weigel Obſ. p. 46* fungum noſtrum pro Sphæria compoſita haberet, cum is ſolummodo Sphæriæ cuidam ſimplici paraſiticæ, aliorum fungorum, quid? quod quarundam Sphæriarum compoſitarum more, incunabula alimentumque præbeat: id, quod in Sphæria Stigmate fieri jam animadvertit cel. *Hoffmannus l. c. pag. 7.* in *Obſ.* huic ſubnexa; eſt enim, quam detexit, Peziza pulchra coccinea, veri nominis Sphæria, ſed e familia vaſtiſſimi hujus generis usque adhuc non deſcripta.

2. Deprehendi ſemel in ligno putreſcente Pinus ſylveſtris *L* fungulum ſparſim creſcentem, gelatinoſum, noſtro ſimillimum; pileo pulvinato, æquali, niveo et, quod huic ſpeciei proprium, deciduo; ſtipite ſubtereti, ochraceo. Martio.

## Figurae explicatio.

### Tab. IV. fig. 30.

a. Fungorum agmen magnitudine & ſitu naturali depictorum.

b-d. Fungus ampliatus

- b. cortici arborum infixus;
- c. hoc erutus, oblique ſpectatus;
- d. ad perpendiculum ſectus.



β. ſtipitata.

β. ſtipitata.

Minor aliquantulum varietate *α*, a qua ſtipite imprimis ſatis longo & omnimode tereti, coloris ſpadicei, differt. In virgultis aridis, Martio, ſed rariuscule.

Figurae explicatio.

Tab. IV. fig. 31.

Fungus lente auctus.

## 2. TVBERCVLARIA *faſciculata*.

T. faſciculata: ſtipite craſſiſſimo, tereti; pileo complanato, granulato.

Fungus gelatinoſus, corticalis, linearis vix longitudinis. Pilei minuti ſuperficies cum carne coloris aurei, margine obſolete compreſſo. Stipes glaber, craſſiſſimus, aureo, intus paleaceo colore, farctus, a capitulo pauxillum prominente palam eſt diſcretus. Cum granulis, ſeu papillis minimis in hujus ſuperficie color ſit dilutiſſime luteus, ad album vergens, nullus dubito, quin in his fructificationis ſedes ſit quærenda; ſed pollen ipſum non vidi. Faſciculatim e cuticula corticis prorumpunt fungi 6 ad 10 coarctati & epidermide eminente ita cincti, ut capſula quadam incluſos crederes. Communicavit exempla recens lecta perbenigne mecum cl. *Timm*, conſul & pharmacopola Malchinenſis de re botanica admodum meritus. Septembri.

Figurae explicatio.

Tab. IV. fig 32.

a. Faſciculi fungorum magnitudine naturali.
b. Faſciculus eorum unicus, lente ampliatus.
c. Fungus ſolitarius auctus.
d. Idem ex pilei meditullio recta ſectus.

## 3. TVBERCVLARIA *volvata*.

T. ſparſa, volvata: ſtipite craſſiſſimo, conico; volva cyathiformi; pileo tuberculoſo-rugoſo, convexo, margine appreſſo, repando.

Hiſtoria fungi minimi ac rariſſimi hæc eſt. Primum prodit volva nigra, cupularis, maſſa nivea, molli repleta, quæ intumeſcendo formam hemiſphæricam ſenſim nacta, poſtea in conicam abit, quo facto pilei leviter convexi & tunc æqualis, coloris pallidiſſime fuſci, mox murini, primordia in ejus apice apparent. Boleti bovini

bovini *L.* exgrumantis faciem hac ætate fungus imitatur. Sed jam pileus fit pulvinatus, margine appreſſo & revoluto; ſtipite vero a conica paulatim in attenuatam, quin denique in cylindricam formam transfigurato. Circa fructeſcentiæ tempus prior colliculis criſpari incipit, margine detorto, undulato, repando-lobato; colore vero in fuſcum, poſtremo ſpadiceum verſo. Polline minutiſſimo cano ubique conſpergitur. Caro ſubſucculenta mollis, fuſco-ferruginea, a cute inſeparabilis. Stipes farctus, candidus, externe ſubtomentoſus, nonnunquam bifidus, pileo inſertus, volvæ non firmiter inhærens. Fungus ſemilineam vix altus & primum admodum tener, naturam poſtea ſatis firmam prodit. Volva perſiſtens. In alburno pluviis macerato ramorum querneorum arentium conſpicatus ſum catervatim creſcentem, Auguſto.

### Figurae explicatio.

Tab. IV. fig. 33.

a. Fungi magnitudine ac ſitu naturali.

b-h. Fungus admodum auctus,

- b. proveniens;
- c. ſtipite progerminante;
- d. pileo primum comparente;
- e. eodem adulto;
- f. fungus in ſtatu Fructeſcentiæ;
- g. fungus ſtipite bifido;
- h. fungus ad amuſſim ſectus.

## 4. TVBERCVLARIA *ſulcata.*

T. ſparſa, ſulcata, integra: ſtipite craſſiſſimo, crucibuliformi, cum pilei depreſſi ſuperficie inferna, integra, connato.

Fungus Aſtroites *Scop. Pl. ſubterr. p.* 117. *n.* 71. *t.* 45. *f.* 2.

Non niſi in hiatibus & fiſſuris truncorum ſalignorum longævorum hic locorum progerminat, ſparſim, interdum 2 ad 3 fungis coaleſcentibus. Admodum parva initio, ſed denique haud raro diametro ſemiunciali. Stipes primus efformatur, villis albis minutiſſimis pubidus, ſubgloboſus, vertice ſcilicet aliquantum in altum protracto. Pilei mox primordia in ejus apice ſe produnt, bracteæ ſimilia peltæformi, glaberrimæ, flavo-fulvæ. Aſt ſenſim complanatur & denique fit depreſſus;

margo interim dilatatur & undulatus evadit: eo pacto crenulatus, ut inciſuræ, ſeu ſulci altius impreſſi, per ſtipitis ſuperficiem uno eodemque tractu continuati, fungi deſuper ſpectati faciem quodammodo ſtellarem, vel floriformem, reddant, dum a latere contemplatus columellam canaliculatam utcunque æmulatur. Effoetum & tunc temporis haud raro umbilicato-excavatum, omnibusque villis orbatum, dentibus humanis molaribus corruptis & carioſis quoad figuram non inepte aſſimilaveris. Color demum ex cereo fulvus. Baſis fungi innititur fibris byſſinis in modum telæ arachnaeæ pertextis. Sub finem Octobris & Novembri.

Figurae explicatio.

Tab. IV. fig. 34.

a. Fungus extuberans magnitudine naturali.
b. Idem ut primum pileus in conſpectum venit.
c. Idem, pileo adulto.
d. Idem, pileo jam aliquantulum depreſſo.
d. Idem, pileo jam perfecte depreſſo.
f. Idem, ſtipite non niſi obſolete ſulcato.
g. Idem, ſtipite jam profunde ſulcato.
h. Idem exoletus.
i. Fungus ad amuſſim ſectus.

# IX. HELOTIVM.

Fungus perpendicularis, fugaciſſimus: ſtipite capillari; pileo minuto, convexo, inferne nude fructificante?

OBS. Differt hoc genus a Lachno cel. *Retzii in den Abhandl. der K. Schwed. Acad. d. Wiſſenſch. v. Jahr 1769. p. 254. n. 60.* coll. *Scand. n. 1643.* habitu, vitæ duratione & fructificationis ſede probabili.

## 1. HELOTIVM *glabrum*.

H. fugaciſſimum, candidum: pileo & ſtipite glabris.

Habitus propemodum Agarici clavi *L.* Altitudo ſtipitis ſesquilinearis. Pileus minutus, ſuperne convexus, inferne arcuatus, utrimque glaber, æqualis. Fungulus

lus adeo eſt delicatus, ut halitu oris, cum eum propius intuearis, ſtylus ſtrictus, admodumque ſubtilis, ſtatim undulatus flaccefcat. In ramulis dejectis arborum, nec non in ſtipitibus culmisve plantarum, ut in graminibus, putreſcentibus ſparſim creſcit. Septembri.

Figurae explicatio.
Tab. IV. fig. 35.

a. Fungi magnitudine ac ſitu naturali.

b. Fungi forma admodum extenſa.

## 2. HELOTIVM *hirſutum*.

H. fugax, niveum: pilei ſuperficie ſuperna & ſtipite hirſutis.

Magnitudo ferme prioris. Pileolus ovalis, convexus, ſuperne pilis albis, rigidulis hirtus; inferne glaber, fornicatus. Stipes ſetaceus, attenuatus, pileo minus hirſutus. Simplici ſolum vice offendi fungillum longe rariſſimum, faſciculatim in fragmine rami putridi, deliteſcentis in cavernula radicali quercus cujusdam annoſæ, progerminatum.

OBS. Ex hujus ſpeciei habitu veroſimile mihi ſit, quid? quod pene eſt perſuaſum, fructificationis ſedem in hoc genere non niſi in area inferiori pilei eſſe quærendam; ſemina enim fungi fugaciſſimi ipſa in neutra ſpecie videre mihi contigit.

Figurae explicatio.
Tab. IV. fig. 36.

a. Fungi magnitudine naturali.

b. c. Fungus amplificatus

b. a latere viſus;

c. perpendiculariter diſſectus.

# X. TYMPANIS.

Fungus cyathiformis: cupula ſuperne volvata; fartura ſeminali ſicca, conferta, in pulverem fatiſcente.

OBS. Differt hoc genus 1) a Lycoperdo, habitu; 2) a Peziza, cupula ſemine farta; 3) a Tubulifera Cerato, *Fl. dan. t. 659. f. 2.* (T. Cremor, *f.* 1, eſt initium alius fungi) capſula

capſula inprimis perſiſtente, volvata; 4) a genere ſequenti, cupulæ repletura, quæ hic eſt ſicca, ſeminibus nudis, conglebatis, diſpergendis conſtans; in Myrotheciis vero illa eſt viſcido-lenta, non diſpergenda, ſeminibus, ut in Phallo impudico *L.* liquamini huic inſperſis.

## 1. TYMPANIS *ſaligna.*

T. ſeſſilis, coriacea, atra, aggregata: cupula ſubelongata, volva marginali diſcreta; fartura ſeminali denſa, minuatim diſpergenda.

E ligno ſicco ſalicum denſe prorepit fungillus, globuli longe minutiſſimi, atri forma; ſed ſuccreſcendo globularem figuram cum cylindrica ſæpiuſcule commutat, apice ſemper obtuſo-truncato. Dehiſcit hic capſula glaberrima, nitidula, quo facto volva marginalis, ſeu velum quoddam, textura candida, bombacina, apparet, ſemina minima, granulato-conſtipata, atra obtegens. Sed rumpitur paulo poſt, colore jam in fuſco-rubellum tranſeunte, & ſemina diſperguntur, quare capſulæ caſſæ tum Pezizæ nigræ faciem præ ſe ferunt. Figura & altitudine fungus adultus admodum variat, ſæpe bifidum, interdum digitatum, haud raro deformem & connatum ſe monſtrans, apice nonnunquam prominulo. Ut de natura ejus notabili penſim inquirerem, multa exempla a cl. *Timmio* peramanter mihi ſunt miſſa, vere medio lecta.

### Figurae explicatio.

Tab. IV. fig. 37.

a. Fungi magnitudine & ſitu naturali picti.

b-i. Fungus admodum auctus.

- b. protuberans;
- c. capſula magis e ligno emergente;
- d. velo ſub aſpectum veniente;
- e. eodem perfecto;
- f. eodem rupto;
- g. capſula, ut poſt veli interitum polline repleta in oculos incurrit;
- h. capſula ſeminibus excuſſis.
- i. Fungi forma & ætatis gradu diverſis.

XI. MYRO-

# XI. MYROTHECIVM.

Fungus cyathiformis: cupula ſuperne volvata; repletura ſeminali lento-viſcida.

OBS. Differentia generis hujus novi a conſimilibus ex Obſervat. ad proxime præcedens facta innoteſcit.

## 1. MYROTHECIVM *roridum.*

M. ſeſſile, bombacinum, niveum: cupulis hemiſphæricis, connatis, roridis; margine in volvam continuato; repletura ſeminali turgida, fuſca.

Expanſum, ſeu vellus, bombacinum, niveum, ligniſedum, unam ad duas uncias longum, dum complanari incipit, cupulis ſemilinearis diametri denſe approximatis favi inſtar mox lacunatum apparet, quæ maſſa viſcida fuſca, cerato ſimili, ſemina minima immixta continenti, ſcatet. Quoplùs cupularum compages flocceſa ſubſidet; eo plus facies ejus favoginea; ſed ambitus illarum ex circulari tum fit elliptico-angulatus. Deſtillant laticem ut videtur ſubviſcidum, ſed pellucidum, ut aquæ puriſſimæ. Semina liquamini inſperſa & huic ferme concoloria ſuperficiem ejus occupant, & forte ibidem generantur. In feſtucis, ramentis aſſulisque querneis ac pineis, humi jacentibus & crebro humectatis. Aprili, Majo.

OBS. Vidi varietatem, repletura ſeminali ex cinereo nigreſcente.

Figurae explicatio.
Tab. V. fig. 38.

a. Fungi magnitudine & ſitu naturali.
b-f. Fungi lente ampliati
 b. juniores & adulti, rorantes;
 c. grandævi.
 d. Cupula ſegregata velo integro;
 e. eadem velo dehiſcente;
 f. eadem veli laciniis ſecedentibus.

## 2. MYROTHECIVM *inundatum.*

M. ſeſſile, bombacino-membranaceum, candidum: cupulis polymorphis, connatis;

natis, inundatis; margine in volvam continuato; repletura ſeminali modica, viridi, nigreſcente.

In ſuperficie Agarici exſiccati cujusdam albi, nigreſcentis, me ſciente nondum diſtincte deſcripti, nec picti, ad familiam vero Agarici integri L. referendi, eminent expanſa bombacina variæ figuræ ac magnitudinis, quæ lacunata evadunt: cupulis nimirum excavata approximatis, initio rotundis, lenticulæ ſæpiſſime diametro; ſed poſtea admodum dilatatis deformatisque. Repleturæ, ſeu maſſæ viſcidæ, color eſt viridis; at ſeminibus granulatis poſtmodum deſuper tecta nigreſcit. Cupulæ ſæpenumero aqua hiſce ſeminibus ſuperfuſa ſtagnantur; cœlo licet ſereno ac ſudo. Textura earum denique tam condenſatur, ut membranacea ferme vocari queat. Junio, Julio.

Figurae explicatio.

Tab. V. fig. 39.

a. Fungi quidam magnitudine naturali.

b-d. Iidem amplificati

b. prima ætate;

c. tempore fructeſcentiæ inſtante;

d. tempore fructeſcentiæ ipſo.

## 3. MYROTHECIVM *ſtercoreum.*

M. ſeſſile, membranaceum, nigrum, aggregatum: cupulæ margine in volvam fugaciſſimam cotinuato? repletnra ſeminali turgida, albida, fuſceſcente.

In ſtercore canino, aeri diutius expoſito, extus apparent granula longe minima, nigra, aggregata, muſcarum retrimento ſimilia, quæ lente vitrea perluſtrata cyathiformia agnoſcuntur, Pezizis vulgaribus admodum affinia, extus tomentoſa, colore caſtaneo. Volvam marginalem non vidi, forte fugaciſſimam. Repletura ſeminalis admodum tenax. Fungus inter rariſſimos referendus vegetat Aprili.

Figurae explicatio.

Tab. V. fig. 40.

a. Fungi magnitudine & ſitu naturali.

b. c. Fungus mole adaucta pictus

b. adultus;

c. exoleſcens.

4. MYRO-

## 4. MYROTHECIVM *hiſpidum.*

M. ſeſſile, coriaceum hiſpidum, fuſcum ſparſum: cupulæ margine in volvam continuato; repletura ſeminali fuſceſcente, ſubpellucida.

Diameter vix lineam æquat. Figura fungi, dilute fuſci, initio globoſa, ſenſim compreſſa fit. Superficies externa cupulæ pilis aceroſis hirta. Volva marginalis iisdem pilis, ſed aliquantulum longioribus, conſtat. Maſſa ſeminalis primum ſubpellucida. Fungus denique Pezizarum more conſtringitur & criſpatur. In cortice frondis aridæ Roſæ caninæ *L.* tempore pluvioſo inveni eum ſub finem Maji. Aeque rarus ac præcedens.

Figurae explicatio.

Tab. V. fig. 41.

a. Fungi magnitudine ac ſitu naturali.

b-d. Fungus lente ampliatus

b. volva marginali adhuc clauſus;

c. tempore fructeſcentiæ, velo recedente;

d. ſeneſcens.

## 5. MYROTHECIVM *dubium.*

M. ſeſſile, parabolicum, aggregatum: cupula cortice proprio & volva marginali deſtituta; repletura ſeminali nigreſcente, exigua.

E ramulis dejectis Roſæ caninæ protuberat magnitudine ſeminis papaveris, epidermidem elevans, quæ ibi colore gaudet ſature ac amœne fuſco, apice vero ochroleuco mox dehiſcit, quo facto liquamen ſeminale tenuius intus apparet. Non niſi ſemel obviam mihi factum, Martio.

OBS. Forte fungulus hic anomalus mera puſtula eſt, ſucco extravaſato diſtenta, forſan vero rudimentum alius fungi: v. c. Sphæriæ cujusdam e familia compoſitarum, viſcidarum, in lucem nondum protractarum. Accedit ſaltem ad Sphæriam natantem (mihi) his adſcribendam, de qua, Deo ſoſpitante, tempore ac loco alio agam.

Figurae explicatio.

Tab. V. fig. 42.

a. Fungi magnitudine ac ſitu naturali.

b. c. Fungus lente auctus



b. capſula

b. capſula clauſa;

c. hac aperta, ſeu rupta.

# XII. VOLVTELLA.

Fungus hypocrateriformis, ſtipitatus: pilei ſuperficie ſuperna punctato-umbilicata, margine primum revoluto; repletura ſeminali ſimilari, ſtipite brevi, ſetaceo.

OBS. Cum generibus X & XI admodum congruit: ſed ab utroque tum area punctata-umbilicata, tum ſtipite manifeſto recedit.

## 1. VOLVTELLA *volvata.*

V. volvata, coriacea, ſparſa: cupula hypocrateriformi; volva marginali diſcreta, revoluta, diſſiliente; repletura unguinoſa, in reſinam coagulanda, comminuenda; ſtipite perbrevi.

Color fungi albus, fulveſcens, demum flavofuſcus. Diameter pilei linea minor. Formam hic hypocrateris cum patellae demum permutat. Volva candida, membranacea ita diſſilit, ut fruſtatim concidat. Repletura ſeminalis, cerati primo conſiſtentia, obdureſcit. Facies illi denique placentulæ reſinoſæ, coloris ex ſature fuſco nigreſcentis. Excutitur hæc palam e cupula & comminuitur, quod vero quomodo fiat, inter excutiendum puta, vel poſtmodum, in tantulæ molis fungo difficile eſt dictu; id cognitum compertumque habeo, maſſam illam ſeminalem tandem plane diſparere. Area punctata & umbilicata tum viſibilis fit, colore ferrugineo, quaqua tecta erat, jam tincta. In ramulis exſuccis Pruni ſpinoſæ L. Septembri, poſt dies humidas, aliquoties ſe mihi obtulit.

OBS. Ex porulis, aream punctatam reddentibus, maſſam ſeminalem primo liquidam ſudare, in aprico eſt: id, quod affinitatem novi hujus generis cum Octoſpora, genere, ſeu, ut nominatam mallem, ordine Hedwigiano luculenter arguit.

Figurae explicatio.

Tab. V. fig. 43.

a. Fungi magnitudine & ſitu naturali delineati.

b-g. Fungus lente admota viſus.

b. Fungus

b. Fungus junior deſuper ſpectatus;
c. idem in obliquum flexus;
d. idem, volva jam diſſiliente;
e. idem, volva plane deſtructa;
f. idem, diſco punctato & umbilico jam conſpicuis;
g. Ichnographia fungi adulti per centrum diſci deſuper ſecti.

## 2. VOLVTELLA *nuda*.

Pez. volutella, Fr.

V. nuda, fugaciſſima, ſparſa: pileo, plano, nudo, primum revoluto, demum diſciformi ſimulque punctato-umbilicato; ſtipite brevi, ſetaceo.

Diameter pilei linearis; ſtructura fungilli tam tenera, ut vita ſolum ephemera gaudeat. Pileus candidus, quando margo ejus revolutus, cum diſco orbiculatam, ſeu omnimodo planam formam induit, punctatus primum & umbilicatus apparet, tum vero depreſſus ſit, centro nonnunquam umbonato. Semina candida tam minuta ſunt, ut eorum infarctus, porulos pilei initio abſcondens, oculo vel armato perceptu difficilis ſit. Color ſtipitis niger. In culmo triticeo putrido ſemel vidi fungum longe rariſſimum. Septembri.

OBS. Placentæ ſeminalis comminuendæ abſentiam ſpeciem hanc a congenere præcedente nimio plus repellere, ecquis non videt? attamen habitus utramque arcte conjungit, cujus ſolius rationem, re tam perplexa, hic eſſe habendam, equidem autumavi.

### Figurae explicatio.

Tab. V. fig. 44.

a. Fungi aliquot magnitudine ſituque naturali.
b-e. Fungus lente auctus
b. ætatis vere deſuper viſus;
c. idem inferne ſpectatus;
d. Fungus decrepitus transverſe contemplatus;
e. idem deſuper viſus.

# XIII. HYSTERIVM.

Fungus labiato-globoſus, ſeſſilis: volva, ſeu capſula, labiato-findenda; ſubſtantia ſublabiata, prominente, externe ſeminifera.

OBS. Novum miratuque dignum genus hoc indicavi *in den Schriften der Berlin. Geſellſch. naturf. Freunde. Tom.* V. *p.* 53; ſed cum id temporis non niſi unicam ejus ſpeciem noſſem, definitionem l. c. datam jam cum caſtigatiore commutavi.

## 1. HYSTERIVM *quadrilabiatum.*

H. ſubgloboſum, ſparſum: volva fungoque labiatis.

Deſcriptionem figuramve vide ſis l. c. *p.* 54. *tab.* 2. fig. 1-6.

## 2. HYSTERIVM *bilabiatum.*

H. ovale, ſparſum: volvæ rima labiata; fungo exlabiato, prominulo.

Priori ſimile magnitudine arenulæ, loco natali, progerminandique modo & tempore; ſubſtantia porro volvæ ſtupoſa, alba; fungi vero ipſius ſimpliciſſimi ſuperficie glabra. At diſſimile figura ovali; ſubſtantia fungi ſubgelatinoſa, ſuperficie ejus æquali, ſeu labiis protuberantibus ſemper experte, dilute olivacea, ſeminibus minutiſſimis albis adſperſa. E rima volvæ parum eminet. Vita fungilli breviſſima. Semel modo ſe mihi obvium dedit in ramuſculo emortuo Pruni ſpinoſæ L. Martio.

### Figurae explicatio.

Tab. VI. fig. 45.

a. Fungorum agmen, magnitudine nativa pictorum.

b-g. Fungus maximopere ampliatus.

- b. Fungus volva ſuperne jam diffindenda;
- c. idem tempore fructeſcentiæ, rima volvæ diſtenta, uti deſuper viſus apparet;
- d. idem, uti hoc tempore transverſim intuenti in oculos incurrit.
- e. Fungus volva exutus;
- f. idem quoad longitudinem diſſectus.
- g. Ichnographia fungi, volva incluſi, fructeſcentiæ tempore ad amuſſim ſecti.

XIV. VER-

# XIV. VERMICULARIA.

Capſula globoſa, ſeſſilis, corporibus vermiformibus, liberis, ſeminiferis, repleta.

OBS. Fructificationis modo a Lycoperdo, ut a Trichia *Hall.* ſatis recedit, filis ſcilicet ſeminiferis liberis.

## 1. VERMICVLARIA *Pſeudoſphæria.*

V. globoſa; aggregata: capſula granulata, nigra; filamentis ſeminiferis, liberis, nudis, albis.

Capſula ſubcompreſſa, tenera, non fragilis, ut in Sphæriis, nudo oculo puncti inſtar apparens, filis brevibus, laxis, confertis repleta, quæ ſeminibus minutiſſimis albis circumquaque ſunt obducta. Filamenta hæc vermiformia tabeſcendo demum labaſcuntur, colore tum in aureum, vel potius aurantium, mutato. Capſula utrum demum dehiſcat, an fatiſcat, dicere nequeo. In libro rami quernei putreſcentis ſemel obſervavi, Martio.

Figurae explicatio.

Tab. VI. fig. 46.

a. Fungi magnitudine & ſitu naturali picti.

b-d. Fungus lente auctus

b. a latere viſus;

c. e vertice ſectus.

d. Fila vermiformia ſeminifera.

## 2. VERMICVLARIA *pubeſcens.*

V. globoſa, ſparſa: capſula pubeſcente, bicolore; filamentis liberis, nudis, canis.

Magnitudo capſulæ ſubcompreſſæ ferme ut ſeminis Braſſicæ; ſuperficies byſſina, albida; textura levidenſis, colore ſaturate aureum Arſenici rubri imitante. Filamenta vermiformia ſeminifera incana, tenerrima, coarctata. Obvenit in ramulis dejectis, ſarmentisque aridis, tempore pluvioſo, Julio.

Figurae

Figurae explicatio.

Tab. VI. fig. 47.

a. Fungi magnitudine & ſitu naturali.

b. c. Fungus microſcopio amplificatus

b. a latere viſus;

c. ad perpendiculum ſectus.

## 3. VERMICVLARIA *hiſpida.*

V. pulvinata, ſparſa: capſula hiſpida, nigra; ſetis primordialibus volvam fugacem in vertice conſtituentibus; filamentis ſeminiferis liberis, demerſis, albidis.

Primam ſpeciem magnitudine æquat. Capſula, pomi aurantii forma, prima ætate ubique hiſpida, ſetis nempe in vertice ita conniventibus, ut ejusmodi volvam radiatam conſtituant, qualis in Pezizis ſæpiuscule obſervatur. Eodem nempe modo ſetæ primordiales conſertæ, fungo magis magisque ſe extendente, dirimuntur & recedunt; ſed tum, ut in Pezizis, capſula non aperitur, ſed, mirabile dictu, clauſa, ſeu integra, remanet: ſuperne tunc glaberrima, nitidiuſcula apparens, colore dilutius nigro; vertice depreſſo-umbilicato, poſtremum decuſſatim rugoſo. Fila vermiformia albida, licet libera, medullæ tamen cinereæ, mollicellæ, furfuraceæ immixta reperiuntur, id quod huic ſpeciei peculiare eſt. Fungillus cæterum ſatis firmus, cortice ſcilicet, ſeu capſula lenta, membranacea inſtructus, formam quodammodo infulæ, qua utuntur principes, habet. Reperi illum in ligno putreſcente Sambuci nigræ L. Aprili, una ſolum vice.

OBS. Obveniunt, ut ex deſcriptione palam eſt, in hac ſpecie, nonnulla phænomena, quæ in definitionem genericam non omnino quadrare videntur; ſed modus præcipue fructificationis me perpulit, ut fungum ad Vermicularias ablegarem.

Figurae explicatio.

Tab. VI. fig. 48.

a. Fungi magnitudine & ſitu naturali picti.

b-e. Fungus admodum amplificatus

b. volva adhuc clauſa, ſeu integra;

c. eadem jam diſſoluta.

d. Fungus obſoleſcens;

e. Fungus adultus, e vertice diſſectus.

XV. PY-

# XV. PYRENIVM.

Fungus globoſus, ſeſſilis, integerrimus: cortice, ſeu ſubſtantia, ſemina nuda, conglobata nuclei inſtar includente.

OBS. 1. Differt hoc genus fructificatione non filamentoſa 1) a Lycoperdo *L.* 2) a Trichia *Hall.* 3) a Mucore ſeptico *L.* ſummo jure apud cl. *Wiggerſium* *Holſ. p.* 112. novum genus, nomine Fuliginis ex *Hall.* petito, conſtituente; 4) a Mucore cruſtaceo, erecto, cæt. *Mülleri*, *Abh. d. K. Schw. Acad. d. W.* 1769. *p.* 68. *t.* 3. *f.* 2-5, eodem cum Mucore ſpongioſo *Leyſſ. Hal.* 2. *n.* 1274.

2. Superſunt in una alterave ſpecie, quas ſub hoc genere conſociatas hic ſiſto, nonnulla adhuc altius rimanda, quæ conſectari mihi quidem huc usque non licuit.

## 1. PYRENIVM *lignorum.*

P. globoſum, ſparſum: cortice bombacino; nucleo ſeminali fatiſcente.

α. vulgare.

Forma globoſo-compreſſa, ſæpiuscule ovato-elongata, diametro lineæ unius in tres & quod excurrit. Cortex candidus, bombacinus, tener, ſubſidens & in vertice præſertim fungi evanidus. Nucleus, granulis minimis conſtat conglebatis, æruginis æris amœniſſimo colore, quæ ſemina mihi videntur. Auctumno poſt pluvias iteratas in virgultis emortuis ramulisque decuſſis crebro conſpicitur, quandoque ſparſim, ſæpe vero agmine denſiſſimo creſcens.

Figurae explicatio.

Tab. III. fig. 29.

a. Fungi magnitudine ſituque naturali delineati.

b. Fungus lente auctus, ad perpendiculum ſectus.

β. aureum.

Tantum fabrica a fungo jam jam deſcripto diſcrepat, ut ægre pro mera ejus varietate haberi poſſe videatur. Figura ovalis compreſſa; cortex tomentoſus, diſſiliens, coloris aurei; nucleus mollicellus, comminuendus, colore ex albido ad aurantium vergente. Sparſim habitat fungulus tener, perrarus, lineam longus, in ligno nudo ramorum fagineorum putreſcente. Majo.

## 2. PYRENIVM *metallorum*.

P. compreſſum, adſcendens, imbricatum, hirſutum: pulpa furfuraceo-lamellata: nucleo ſeminali globoſo, duriore.

Fungus magnitudine ſemini papaveris dimidiato æquiparandus, aggregatus e metallo progerminat, forma initio pulvinata, colore aquæ marinæ cum viridi æris mixtæ. Superficie ferme integra inferiore id ætatis adhæret natali ſedi; ſed temporis progreſſu e complanandi marginis ambitu fere omni prodeunt cilia nivea nitida, ſimulque ſuperficies ſuperna fungi hucusque tomentoſi, ſed jam hirſutuli, colore lætiſſimo cæruleo, Vltramarino pictorum ſimili, exſultare incipit. Tum vero totus marginis ciliati anfractus ſolo avellitur eumque in modum elevatur, ut jam fungus ex ſeſſili erectus, vel ſtrictus, fiat, quarta circiter marginis parte, ut Boletus verſicolor L. ſedi affixus; Agaricorum Boletorumque imbricatorum habitum hac nova directione præ ſe ferens. Subſtantia ejus ſpongioſa bracteolis minimis, ſubtitiſſimis, convolutis, friabilibus, æruginis æris colore conſtat. Nucleum, quem circumdat, atro-fuſcum, compactiorem, duriusculum, nec diffractu facilem, inveni. Monſtravit mihi fungillum jucundiſſimum, rariſſimum, unicumve, quem unquam e metallis enatum vidi, e ſclopeti manualis tubo interne extuberatum Vir Generoſiſſimus *C. von Laffert*, in *Groſſen-Welzin* Toparcha, rerumque naturæ a teneris unguiculis obſervator ſagaciſſimus ac diligentiſſimus, et, quæ ſua eſt humanitas propenſusque in me animus, quo facilius naturam plantæ a ſe detectæ ſciſcitarer, ſclopetum ipſum benigniſſime mihi commodavit. Durabilis admodum fungus hic ſingularis videtur; perſiſtentem ſaltem jam noſco. Primum vidi menſe Auguſto anni proxime præterlapſi.

### Figurae explicatio.

Tab. VI. fig. 49.

a. Fungorum magnitudine naturali pictorum agmina.

b-e. Fungus forma extenſiore repræſentatus

- b. proveniens;
- c. adultus, a latere viſus.
- d. Fungi imbricati deſuper viſi.
- e. Fungus ad amuſſim ſectus.

OBS. Figura d. fungi adulti ferme cernui & proni, non vero, uti naturæ eorum eſt conſentaneum, ad angulum rectum a ſolo elevati videntur, at non in adumbratione fungo-

rum

rum ipſorum, ſed in ſitu modo plagæ natalis, in relatione ad eos pingentis incuria nimis obliquatæ, peccatum eſt.

## 3. PYRENIVM *terreſtre.*

P. globoſum, aggregatum: pulpa gelatinoſa; nucleo cereo ſubrecedente.

An Lycogala terreſtre etc. *Mich.* F. G. p. 216. n. 5. t. 95. f. 5? forte fungus junior; deſcriptione certe ac figura cum noſtro ſatis convenit.

Fungi rotundati, ſæpenumero globoſo-elongati, depreſſi, piſi magnitudine modici, interdum multo minores, confertim e ſolo proveniunt nudo, ſterili, ſqualido. Subſtantia, ſeu pulpa, eorum gelatinoſa, indureſcendo gummata, ſuperficie externa eſt obſolete papilloſa; interne vero aequalis, utrobique coloris aurantii. Nucleus, ejusdem cum pulpa formæ ac coloris, ab hac tandem quaquaverſum, ſola baſi excepta, ſecedit, ut quaſi inflata appareat. Malchino mihi primum exempla miſit amiciſſimus mihi *Timmius*, Junio; ſed & a me ipſo poſtea lectum.

OBS. Veriſimile quidem admodum eſt, maſſam incluſam, ſeu nucleum, ab includente, ſeu pulpa, conſiſtentia non ſolum, ſed & ſtructura differre, globulum proin, de quo egimus, nil niſi concretum ſeminum minutiſſimorum eſſe; at enim ne de his, quæ mihi in perſcrutatione fungi innotuerunt, quicquam ſilentio prætercam, vacillantem paululum in mea ſententia reliquit pulviſculus fulvus, quo ſuperficiem ejus adſperſam inveni. Nihil enim obſtare videtur, quo minus hic pro ſemine habeatur, cum 1) fungi natura primitus ſit gelatinoſa Tremellarum, quarum quidem pars maxima ejusmodi fructificatione ſuperficiali inſignitur; tum quod 2) ipſe in nucleo ſementem nec jam formatam, neque hujus rudimenta diſtincte obſervaverim: quare poſſibilitas omnino ſubeſt, ſubſtantiam fungi omnem omnino eſſe ſimilarem, gelatinoſo-unguinoſam puta, quæ pro ratione diverſa, qua rigeſcit, h. e. extrorſum plus, quam introrſum, heterogenea demum videri, eadémque de cauſa inter rigeſcendum perfacile intus dehiſcere poteſt. Accidet igitur fortaſſis, ut, fungilli indole penitius quondam explorata, hic e Pyreniis excenturiatus aliquorſum, ſub genere, inquam, a noſtro plane diverſo, militatum abire jubeatur.

### Figurae explicatio.

Tab. VI. fig. 50.

a. Fungorum ceſpes magnitudine naturali pictorum.

b. c. Fungus lente ampliatus

b. integer.

c. medio diſſectus.

# XVI. XYLOSTROMA.

Expanſum coriaceum, bilaterale, deforme, interpolatum: ſuperficie lævi, aequali; globulis ſeminalibus minutiſſimis, intus fibrillis fungi inſidentibus

## 1. XYLOSTROMA *giganteum*.

X. centrale, lobatum, giganteum, ochroleucum: centro fungi ex transverſo ſecti compreſſo-elongata; lobis radiantibus, diviſis, decreſcentibus.

Fungus ampliſſimus *Scop. Pl. ſubterr.* p. 116. n. 69. t. 44.

Oak-Leather *Raj. Syn.* p. 25 n. 27. teſte *Lightf. Scot.* p. 1004, qui ſub Byſſi candidæ ſuæ varietate β fungum noſtrum deſcribit.

Centralem voco fungum immanem, quod in centro ſemper truncorum adhuc vegetantium, præſertim in quercubus vetuſtis, quarum jam fracta ſunt cacumina, generetur. In his trunci axem primum occupat, & mox faciem quodammodo fuſiformem, ſeu, ut rectius dicam, cunei ancipitis, h. e. duorum cuneorum vertice connatorum, aſſumens, directione horizontali ſimul & verticali arborem penetrat, actione ſua in modum cunei ſpatium magis magisque dilatatum, quod ſuccreſcendo inveſtiat, repleatque, ſibi acquirens. Idem quoque de alis, ſeu lobis, e centro communi radiorum inſtar truncos permeantibus, pluriesque diviſis, valet: hi enim ceu totidem cunei elongati e centro transverſali trunci corticem verſus directi conſiderandi ſunt, lignum proinde quacunque penetrant, ſindentes, in quod ope humoris cujusdam, quem continent, aciduli tanto facilius efficitur, quippe fibrarum lignearum compagem ſolventis earumque corruptelam accelerantis; quo enim pertingit fungus, putridum & plane exſuccum reddit arboris lignum. Subſtantia fungi alutæ, ſeu nebridi belle elaboratæ, admodum ſimilis eſt, lenta, elaſtica, tactu ſuavis, extus glabra, æqualis, colore ochroleuco, magis aut minus albicante; intus fibrillis validis denſe perplexis albis contexta, quibus adhærent ſemina longe minutiſſima, quæ ſimulatque fungus dirumpitur, nubeculæ inſtar in altum ſublata diſparent. Natura gaudere videtur fere incorruptibili, ut ex fragmentis ejus, a me jam ultra ſeptennium ſarta tecta, ſine ulla habitus deformatione conſervatis, conjicio. Diameter minor ſubſtantiæ centralis lineas 3 usque ad 6 aequat, lamellarum

vero

vero majorum, ubi e centro egrediuntur, bilinearis craſſities, hac jugiter, ut jam monuimus, antrorſum decreſcente. Longitudo perpendicularis fungi ſtupefaciens, integrum ſcilicet arborum truncum pedetentim pervagantis. Sæpius illam decempedalem, nonnunquam hac multo, quin duplo forte majorem comperi. Ignem exſiccatus optime fovet, odorem tum aduſtione ſpargens haud ingratum: quare quin, curatura vel mediocri adhibita, ex illo fomes igniarius parari poſſit, minime dubito.

OBS. Maximus hic indigenorum et forte omnium omnino globi terraquei fungorum plus una de cauſa valde memorabilis, mihi videtur. Nam 1) quæſtio hic oritur, quo demum pacto fit, ut ſemina ejus in cor quaſi arboris duriſſimæ penetrent, ibi germinatura? Adſtupuit jam lynceus *Scopoli* ſimili naturæ mirando in fungorum ſubterraneorum geneſi, l. c. p. 119. 2) Fungus noſter, rudis viſu indigeſtaque moles, admodum pro ſententia eorum propugnat, qui omnem veri nominis fungum non niſi e veri nominis ſemine oriri contendunt.

## Figurae explicatio.

Tab. VI. fig. 51.

a. Fragmentum fungi in varios lobos expanſi, magnitudine naturali pictum: (adhærentibus illi ligni exeſi particulis.)

b. Truncus arboris transverſim ſectæ, ut diameter centralis fungi una cum lobis inde radiantibus, ita ut ligni putredo, pari paſſu cum fungo procedens, tanto facilius conſpici queat.

c. Particula lobi diſſecti admodum aucta, quo melius fungi fructificatio illuceat.

# XII. CHORDOSTYLVM.

Fungus ſtipitatus, tenaciſſimus: capitulo globoſo, interne fructificante, ſubdeciduo; ſtipite longiſſimo, tenaciſſimo, ſubramoſo.

OBS. Differt a Mucore Mucedine L. ſtructura præſertim valida ac firma, vitæ ſpatio & ſtipite fere ſemper ramoſo, vel diviſo; a Byſſo vero fructificationis ratione diverſum eſt, ut ab Usnea cl. *Wiggers*; ab Usnea *Scopoli Subt. p.* 94. in omnibus ferme differt.

## 1. CHORDOSTYLVM *capillare*.

C. erectum, ſparſum: ſtipite capillari, glabro, integerrimo; capitulo ſphærico, fatiſcente.

 Stipes

Stipes capillaris admodum tenax, unciam ut plurimum longus, albidum colorem mox ſpadiceo mutans, principio rectus, adultior flexuoſus, tum vero reclinatus eſt & denique complanatus tortilisque fit, ſulco utrimque longitudinaliter jam exaratus. Capitulum minutiſſimum & in oculos vix incurrens, ochroleuci coloris, vertice demum neſcio quomodo ruptum, ſeu, ſi mavis, diſſiliens, pulverem ſpargit dubio procul ſementivum, qui utrum pulpa ipſa capituli fatiſcentis, an polline, usque eo capſulæ incluſo, conſtet, fungorum ſcrutatori vel acerrimo haud facile, puto, unquam liquebit, globuli etenim matureſcentes ſuccuſſu quovis de ſtylo deturbantur, tum vero in examen non amplius revocandi. Fungus ſparſim ramis ramulisque deciduis ac emortuis increſcens haud raro per æſtatem occurrit, imbribus præviis.

### Figurae explicatio.

Tab. VI. fig. 52.

a. Fungorum grex magnitudine naturali pictorum.

b-f. Fungus lente auctus

- b. junior;
- c. adultus;
- d. tempore fructeſcentiæ;
- e. aetate provectus.
- f. Capitulum e vertice diſſectum, nempe ut ſemel, lente & cultello miſere in ſubſidium vocatis, ſtructuram tum ejus internam vidi.

## 2. CHORDOSTYLVM *byſſoides.*

C. erectum, byſſinum, aggregatum: ſtipite capillari, debili, ramoſo, pulverulento-tuberculoſo; ramis ſubdiviſis, patulis; capitulis terminalibus globoſis, circumſciſſis? majusculis, deciduis.

Inſolitæ admodum naturæ planta adeo parva & ſubtilis eſt, ut oculo non armato facile lateat. Capitulum globoſum glabrum, atrofuſcum, majusculum, circumſciſſum, ſeu, ſi mavis, protuberantiis longe minimis pulverulentis, roſaceo-congeſtis, fuſcis, immerſum, ſtylo inſidet flexo, æque fuſco, grumulis pulverulentis concoloribus, confertis, diſtincto; ex quo prodeunt rami ejusdem cum ſtipite naturæ. Excuſſis globulis terminalibus ut ille albeſcunt & decumbunt, grumulis pulveru-

pulverulentis tum plane diſparentibus; globulis vero deturbatis ad baſin plantæ affatim conſpicuis. Reperi hyeme in ſuperficie & ad marginem chartarum ſcriptoriarum complicatarum & prope ad feneſtras muſei repoſitarum, quæ cum vaporibus in guttas condenſatis; ut fieri ſolet in conclavibus calefactis, crebro maduerint, per totam hyemen haſce chartas margine & ſuperne rore ſubtiliſſimo conſperſerunt humectaruntve, itaque immenſo pene fungorum jam deſcriptorum numero ſolum luxurians & habitaculum præbuerunt.

OBS. Fungus hic ſane Byſſum filamentoſam valde aemulatur; ſed capitulorum magnitudo & ponderoſitas me ferme cogunt, ut pro capſulis ſemine repletis qualicunque modo quandolibet rumpendis habeam: a Byſſis ideo, plantis ſimpliciſſimis, ſeparare volui; adde quod grumulæ illæ pulverulentæ ac evanidæ ſtipitis ſingulare quid & ad Lichenum naturam tendens annunciare videantur. Cæterum cum nemine litigabo, cui fungillus noſter Chordoſtylum vitio creatum fortaſſe viſus fuerit; at ſedeat hac ſede ſua, usque dum naturæ ſcrutator me oculatior commodiorem ei aſſignaverit.

### Figurae explicatio.

Tab. VII. fig. 53.

a. Fungi magnitudine & ſitu naturali picti.

b. Fungus perquam auctus.

## 3. CHORDOSTYLVM *hiſpidulum.*

C. repens, tenaciſſimum, hiſpidulum: ſurculo capillari decumbente, ramoſo, ſubradicante; ramis apice tumeſcentibus & in calycem abeuntibus; capitulis obovatis, immerſis.

In foliis putridis, præſertim fagineis, e baſi byſſina ſtellari ſigillatim protuberant ſurculi capillacei, flexi, initio candidi, acuminati, ſeticulis ejusdem coloris hirti, erecti, ſed poſtmodum decumbentes, colore tum in amœne ſpadiceum mutato. Creſcunt in longitudinem 1, 2 usque ad 5 unicarum & plerumque fiunt ramoſi, ſicque totam ſuperficiem foliorum deciduorum, quibus ſeticularum illarum ope arcte adhærent, perrepunt, apice haud raro radicante. Rami repentes tandem adſcendunt, apicem verſus intumeſcentes & quaſi inflati, in tubulumque terminati, qui calycis vicem ſubit, cum ei globulus ſeminalis obovatus, glaberrimus, nitidus, ſolidus, caſtanei coloris, ad medium usque inſideat, de cujus fructificatione equidem nil certi in publicum promere poſſum. Fungus ſeneſcens in colorem ſordide rubellum

lum expalleſcit, ſetulas ſuas tunc omnino amittens. Cæterum folia arborum putreſcentia ſuper & inter quae frequentiſſimus habitat, ramis ſuis vagis ita compaginat, ut difficile ſeparentur. Per integrum auctumnum ad brumam usque viget.

### Figurae explicatio.

Tab. VII. fig. 54.

a. Fungi magnitudine & ſitu naturali picti.

b-f. Fungus microſcopio adauctus

b. progerminans;

c. adoleſcens, capitulo ſe calyce jam exſerente;

d. adultus, capitulo ad medium usque exſerto.

e. Capitulum calyci in apice tubuloſo ſtyli inſidens;

f. idem in hoc ſitu ad amuſſim ſectum.

## 2. CHORDOSTYLVM *Clavaria.*

C. erectum, tenaciſſimum, ſimplex: ſtipite capillari, glabro, flexuoſo; capitulo pyriformi, coriaceo.

Stipes unciali circiter altitudine, ater, complanatur demum & utrinque longitudinaliter ſulcatur, quod fiſtuloſum eum eſſe teſtatur. Capitula candida, aequalia, primum obovata, pyro demum admodum elongato ſimilia fiunt, ſimulque ſtrigoſa, denique vero complanata evadunt: quare intus excaveſci admodum probabile eſt. Fungus, uti ex hac deſcriptione elucet, naturæ dubiæ, quodammodo ad Clavarias ſimul & ad Aſcophoras, quin ad Acroſperma accedit; ſed a prioribus capituli & ſtipitis cavitas; ab Aſcophoris vero ſubſtantia ſimilaris continua; ab Acroſpermis denique capitulum unaquaque ſeminiferum, (hoc enim ex ejus colore ubique eodem, omnisque nitoris experte conjicio) ſegregat; nihilominus illum hic locum ſuum non niſi precarium occupare, haud gravatim largior. Agedum, maneat transmigrationem ſibi forſan impendentem! Semel modo huc usque fungillum memorandum inveni, in fibra ſcilicet exgrumante radicis fagineæ, Septembri.

### Figurae explicatio.

Tab. VII. fig. 55.

a. Fungi quidam magnitudine naturali.

b. c. Fungus lente auctus.

b. Fungi ætate diverſi.

c. Capitulum fungi junioris per verticem ſectum.

# XVIII. PILOBOLVS.

Fungus ejaculatorius, ſtipitatus: ſtipite capillari, ſuperne ventricoſo, hydrophoro; placenta ſeminifera dejicienda pileum conſtituente.

## 1. PILOBOLVS *cryſtallinus*.

P. fugax, cryſtallinus, aggregatus: ſtipite pellucido, rorido, luteſcente; pileo compreſſo, glutinoſo, atro.

Mucor obliquus *Scop. Carn.* 2. *p.* 494. *n.* 1643.

Pilobolus cryſtallinus *Tod. in den Schriften der Berlin. Geſellſch. naturforſch. Fr. Tom.* V. *p.* 46. *t.* 1.

Hydrogera cryſtallina *Wigg. Holſ. p.* 110. *n.* 1156.

Mucor urceolatus *Dickſ. Pl. cryptog. p.* 25. *t.* 3. *f.* 6.

Ad deſcriptionem uberiorem hujus fungi l. c. a me ſuppeditatam nil hic addendum invenio, niſi me varietatem, capſula ſolum hydrophora, aliquantum ſtrictiori, a ſpecie vulgatiſſima differentem, in ſtercore humano ſemel obſervaſſe.

# XIX. THELEOBOLVS.

Fungus ejaculatorius, ſeſſilis, ſphæriæformis: ſubſtantia & placenta ſeminali dejicienda ſolidis, gelatinoſis.

## 1. THELEOBOLVS *ſtercoreus*.

T. globoſo-compreſſus, croceus, confertus: ſubſtantia conſidente; placenta, vel vaſculo ſeminifero, papillæformi, circumſciſſo.

Magnitudo fungi ſemine papaveris aliquantum major. Facies primo admodum Sphæriæ flavæ: placenta nempe ſeminali papillæ in modum prominente. Forma hujus noſtri principio ut pomi aurantii, ſuperficies glabra; ſed Pezizarum more

 baſin

baſin verſus pilis eſt inſtructa, fibrarum radicalium vices obeuntibus. Quando propullulat, color ei eſt pallide luteus; aſt vertitur hic amplius ampliusque in croceum. Color aureus primum in vertice fungi apparet, qui mox intumeſcens placentam ſeminibus fœtam ejusdem coloris, pulvinatam, glaberrimam, nitidam, ita protrudit, ut margini fungi in membranulam, ſeu volvam marginalem, terminato, hac ad medium usque oblaqueatus, ceu cupulæ cuidam inſideat, unde faciem tum acquirit circumſciſſam. Sed vi mox inſigni elaſtica ex illa ſtridulus projicitur, quo facto alveolus, quem mole ſua expleverat, jam ſuperficie nitidus ſubviſcidusque patet. Dilatatur vero abhinc tantopere, altitudine interea temporis ſemper decreſcens, ut tandem vertex fungi in planum, ut loquuntur Geometræ, horizontale transmutetur: quare demum truncatus & Elvelis, quas Diſcos *Scopoli* nominat, ſimilis apparet, margine ſcilicet ejus membranaceo evaneſcente. Cum vero omnes hae phaſes brevi admodum temporis ſpatio abſolvantur, in ſtatu jam jam deſcripto, poſtremo ut plurimum reperitur fungus, cum Patellis cl. *Wiggers* tum perfacile confundendus. Cutis ejus membranoſa; ſubſtantia albida, mollis, gelatinoſa. Fungus exoletus denique rufeſcit. Vaſculum ſeminale ob nimiam minutiem cum glabritate conjunctam cultello rite diſſecare non potui, attamen ſolidum mihi viſum fuit. Agminibus denſiſſimis poſt temptis pluvioſum provenit fungillus, ovulorum minutorum piſcium congeriem ſimulantibus; & quod illi peculiare eſt, ſolummodo in ſuccerda; attamen ſemel eum in ſtercore quoque humano inveni, ſemper vero menſibus Junio & Julio.

OBS. Perſuaſum eſt mihi, fungos fortaſſe bene multos, qui Pezizarum truncatarum formam habent, revera ad Theleobolorum genus pertinere, præſertim ſi ſint κοπρωνοικοι; attamen huic generi minime ſubjungenda eſt Patella minima *Wigg. Holſ. p.* 107. coll. *p.* 111. licet ſit ſtercorea & ratione formæ cum fungo noſtro, imprimis quando veteraſcit, adeo conveniat.

## Figurae explicatio.

Tab. VII. fig. 56.

a. Fungorum agmen magnitudine natnrali tantillum majori depictorum.

b-h. Fungus lente adauctus

b. proveniens;

c. adultior, vaſculo ſeminali jam ſe exſerente;

d. fungus iu ſtatu fructeſcentiæ;

e. idem,

e. idem, fructeſcentia jam jam peracta;
f. idem hac aliquantiſper jam conſummata;
g. idem grandævus;
h. idem ætatis flore ad amuſſim ſectus.

# XX. SPHAEROBOLVS.

Fungus ejaculatorius ſeſſilis, globoſo-concavus: vertice radiatim findendo; veſicula ſeminifera globoſa, ejicienda.

Carpobolus *Micheli.*

OBS. Optimo exemplo genus hoc Michelianum a *Linnaeo* eliminatum reſtituit cl. *Willdenow Berol. p.* 414. Sed neceſſe erat, ut nomen Carpoboli nimis vagum jam cum alio commutaretur.

## 1. SPHAEROBOLVS *ſtellatus.*

S. globoſus, volvatus, liber: volva fugaci, albida; fungi concavi, bi-lamellati lutei, dehiſcentis limbo patenti-reflexo, ſtellato; veſicula ſeminifera albeſcente.

Lycoperdon Carpobolus *L. Sp. pl.* 2. *p.* 1654.

OBS. 1) Omitto hic nominis hujus trivialis crebram repetitionem, in Floris recentioribus haud raro obvii, cum ex ſola, ad quam earum conditores ibi provocare ſolent, auctoritate Linnaeo-Micheliana non ſatis conſtet, utram de duabus varietatibus inſequentibus viderint & innuant.

2) Volvam fungi nuncupo integumentum ejus externum, cereum, albidum, omnes veræ volvæ notas habens; fungum ipſum volvæ nomine inſigniri noluerim: nec a ſe impetrare id potuit diſpex *Hallerus.* Hiſtoriam cæterum ejus ut poſt *Micheli* hic repetam, nemo, credo, facile expectabit.

*α.* bi-ſtellatus.

A varietate ſequenti diverſus ſubſtantiæ lamella utraque: h. e. interiore non minus, quam exteriore, ſtellatim findenda, priorique una cum vaſculo ſeminali ejaculanda.

*Mich.* F. G. *p.* 221. *n.* 1. *t.* 101. *f.* 1.

*Hall. hiſt. p.* 119. *n.* 2175.



Lyco-

Lycoperdon Carpobolus *Batſch.* Jen. p. 153. Deſcriptio concentrata, fida; aſt fungus non ſemper 6-fidus, ſed pluries 7-fidus, in noſtra ſaltem regione, invenitur.

β. uni-ſtellatus.

Varietas hæc a præcedente admodum diverſa: fungi nempe lamina interiore una cum globulo ſeminifero minime ejaculanda; ſed in loco priſtino poſt fructeſcentiam perſiſtente; margine ejus inſuper non ſtellatim fiſſo, ſed obſolete ſolummodo inciſo, vel emarginato. Nec lamina exterior tam fiſſa apparet, ut in varietate α.

*Mich. p.* 221. *n.* 2. *t.* 101. *f.* 2.

Lycoperdon Carpobolus *Fl. dan. t.* 865. Figura cum natura admodum conveniens, & quantum varietas hæc a priori diverſa ſit, primo obtutu utramque comparantem edocens; ſed omiſſas in veſicula ſeminali doleo venas turgidulas, illam ubique, ut arteria coronaria cor humanum, cingentes.

OBS. 1) Spectaculum ſingulare præbet obſervatori agitatio vehemens in fluido, liquenti melli ſimili, fulvo-fuſco, fundum fungi junioris inundante, conſpicua, quando veſicula ſeminalis primum ex eo liquore formatur & emergit: vivere omnia, ſeu motu animali huc illuc ferri diceres. Idem ſpectaculum offert veſicula hæc quando exploſioni proxima vim quandam externam patitur: quare miror, *Hallerum* nil horum unquam vidiſſe.

2) Fungum haud admodum rarum lignarium eſſe & autumno vigere, inter omnes conſtat.

## 2. SPHAEROBOLVS *roſaceus.*

Stictis radiata

S. urceolatus, nudus, immerſus, candidus: limbo roſaceo-reflexo; veſicula ſeminifera albeſcente.

α. floriformis.

Magnitudo quandoque præcedentis, interdum hoc minor; ſed multum ab illo differt forma & orificio ſemper aperto, limbo roſaceo-reflexo; colore candido; ſubſtantia non bi-lamellata, coriacea; ſitu porro non libero, cum ad limbum usque ſit lignis immerſus; materia demum viſcidula, ante formationem veſiculæ ſeminalis membranula tecta, quæ tandem in veſiculam illam ipſam abit. Quibus omnibus adde, ſpeciem hanc priori longe eſſe rariorem & præcipue in aridis fagorum ad-

modum

modum juniorum radicibus, nec non interdum in cortice ramorum emortuorum Pruni ſpinoſæ L. gregatim nidulare. Floret auctumno.

Figurae explicatio.

Tab. VII. fig. 58.

a. Fungi ligno immerſi magnitudine naturali.

b-d. Fungus per microſcopium viſus.

b. Veſicula ſeminifera jam protuberante.

c. Fungus veſiculam hanc ejaculans.

d. Fungus junior deſuper ſectus.

β. repandus.

Non niſi limbo repando & baſi ſubcomplanata a varietata α differt. Detexi florentem in radice exſiccata Carpini Betuli L.

Figurae explicatio.

Tab. VII. fig. 58.

Fungus lente auctus ad perpendiculumque ſectus.

# XXI. ATRACTOBOLVS.

Fungus ejacnlatorius, ſeſſilis, cupularis, operculatus: veſicula ſeminifera fuſiformi, ejicienda.

## 1. ATRACTOBOLVS *ubiquitarius*.

*A.* pezizaeformis, albus, aggregatus; veſicula ſeminifera rubicunda.

Peziza annularis *Batſch. Fung. cont.* I. *p.* 201. *t.* 26. *f.* 139.

Admodum parvi & abnormis fungi catervæ nudis oculis farinæ ſparſæ inſtar apparent; lente vero perluſtratæ cupulæ albæ agnoſcuntur limbo patente, ſeu deflexo, operculo plano, umbonato, ejusdem coloris tectæ, extus, uti ſuperficies cupulæ, granulato. Veſicula ſeminifera fuſiformis, ſeu elongate ovalis, glaberrima, pellucida, rubicunda, recta, laticem concolorem, ſeminibus procul dubio permixtum, fovet. Vi ſua elaſtica veſicula hæc operculum cupulæ, quod ubi limbus deflectitur, illi quaſi agglutinatum eſt, trudit, (unde ei facies umbonata,) usque dum, hoc revulſo & propulſato, e carcere quaſi ſuo tempore fructeſcentiæ exſiliat, erup-

 tionem

tionem ſimulac fecit, comminuenda. Mirabilis profecto hujus fungilli videtur procreatio ac habitatio; poſt pluvias enim, præſertim ubi cœlum tonat, denſe cadentes ubique ferme & ubi alium nunquam fungum vigere cernas, h. e. in ſuperficie adverſa, ita ut averſa, lapidum, oſſium, lignorum, caet. humi jacentium, præcipue in eorum rimis, ſulcis ac cavernulis, aquam pluvialem aliquamdiu retinentibus, quam copioſiſſime provenit: quare illi nomen ubiquitarii indidi. Cæterum ejus ſemina cum pluvia in terram deferri, ex iis, quæ jam retuli, ſole, puto, clarius eſt. Auguſto.

## Figurae explicatio.

Tab. VII. fig. 59.

a. Fungi magnitudine naturali.

b-g. Fungus admodum auctus

- b. operculo clauſus;
- c. hoc remoto apertus.
- d. Operculum fungi.
- e. Fungus ad perpendiculum ſectus.
- f. Veſicula ſeminifera;
- g. eadem ex apice diſſecta.

# SYNONYMA OMISSA.

1. Ad SCLEROTIVM *Semen* p. 4. addendum:
Lycoperdon oleraceum *Pollich. Palat.* III. *p.* 310. *n.* 1199.
(Deſcriptio fungi veteraſcentis.)

2. Cum ACROSPERMO *lichenoide* p. 9. conferendus
Lichenis phyſodis var. prima *Scop. Carn.* 2. II. *p.* 393. *n.* 1405. (1)
(Ergo jam huic fungus quidam lichenoidaſter innotuit.)

3. ASCOPHORAE *Mucedini* p. 13. adjiciendus,
Mucor roridus *Willden. Obſſ. bot. im vierten Stück des Magazins für die Botanik. p.* 18. *n.* 21. *f.* 17.

4. VOLVTELLAE *nudae* p. 29. adſcribatur
Peziza amenti *Batſch. Fung. cont.* I. *p.* 211. *t.* 27. *f.* 148.
(Differt ſolummodo magnitudine & colore.)

INDEX.

# INDEX.

I. SPERMODERMIA Rogenſchwamm. p. 1
1. clandeſtina.
II. SCLEROTIVM Hartſchwamm. 2
1. purpureum.
2. immerſum.
*α. luteſcens.*
*β. album.* 3
*γ. clandeſtinum.*
3. ſubterraneum
*α. muſcorum.*
*β. caudicum.* 4
4. Semen.
5. Mucor. 5
6. radicatum.
7. complanatum.
8. villoſum 6
*α. album.*
*β. ferrugineum.* 7
III. MESENTERICA Plattſchwamm.
1. tremelloides.
*α. lutea.*
*β. caerulea.* 8
IV. ACROSPERMVM Hornſchwamm.
1. compreſſum.
2. unguinoſum. 9
3. pyramidale.
4. lichenoides.
V. STILBVM Glanzſchwamm. p. 10
1. vulgare.
2. bulboſum.
3. rubicundum. 11
4. minimum
*α. nigripes.*
*β. flavipes.* 12
5. turbinatum.
6. pubidum.
VI. ASCOPHORA Schlauchſchwamm. 13
1. Mucedo.
2. fragilis. 14
3. Stilbum.
4. ovalis. 15
5. cylindrica.
6. limbiflora.
7. diſciflora. 16
*α. ſolida.*
*β. byſſina.*
VII. MEDVSVLA Plüſchſchwamm. 17
1. labyrinthica.
VIII. TVBERCVLARIA Knobberſchwamm. 18
1. vulgaris
*α. ſubſeſſilis.*
*β. ſtipitata.* 20
2. faſciculata.

3. volvata.

3. volvata. p. 20
4. ſulcata. 21
IX. HELOTIVM Nagelſchwamm. 22
1. glabrum.
2. hirſutum. 23
X. TYMPANIS Paukenſchwamm.
1. ſaligna. 24
XI. MYROTHECIVM Balſamſchwamm. 25
1. roridum.
2. inundatum.
3. ſtercoreum. 26
4. hiſpidum. 27
5. dubium.
XII. VOLVTELLA Wulſtſchwamm. 28
1. volvata.
2. nuda. 29
XIII. HYSTERIVM Venusſchwamm. 30
1. quadrilabiatum.
2. bilabiatum.
XIV. VERMICVLARIA Nudelnſchwamm. 31
1. Pſeudoſphæria.
2. pubeſcens.
3. hiſpida. 32
XV. PYRENIVM Kernſchwamm. 33
1. lignorum
*α. vulgare.* p. 33
*β. aureum.*
2. metallorum. 34
3. terreſtre. 35
XVI. XYLOSTROMA Tapetenſchwamm. 36
1. giganteum.
XVII. CHORDOSTYLVM Saitenſchwamm. 37
1. capillare.
2. byſſoides. 38
3. hiſpidulum. 39
4. Clavaria. 40
XVIII. PILOBOLVS Hutwerfer. 41
1. cryſtallinus.
XIX. THELEOBOLVS Knopfwerfer.
1. ſtercoreus.
XX. SPAEROBOLVS Kugelwerfer. 43
1. ſtellatus.
*α. bi-ſtellatus.*
*β. uni-ſtellatus.* 44
2. roſaceus.
*α. floriformis.*
*β. repandus.* 45
XXI. ATRACTOBOLVS Spindelwerfer.
1. ubiquitarius.

# ERRATA.


| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Pag. | 4. | lin. | 1. | lege | ſtipitum | loco | truncorum. |
| — | 6. | — | 10. | — | ſtipulis | — | culmis. |
| — | 7. | — | 25. | — | ſinuato-lobato | — | ſinuato lobato. |
| — | 15. | — | 12. | — | ſaltem | — | ſaltim. |

# FVNGI MECKLENBVRGENSES SELECTI.

AVCTORE

HENRICO IVLIO TODE

SYNODI WITTENBVRGENSIS PRAEPOSITO ET V. D. APVD PRITZIERENSES MINISTRO. SOCIET. BEROL. AMIC. NAT. CVR. NEC NON NAT. CVR. HALENS. SOD.




## FASCICVLVS II.

GENERVM NOVORVM APPENDICEM ET SPHAERIARVM ACAVLIVM SVBORDINES III PRIORES COMPLECTENS.

*TABVLIS X AENEIS ADIECTIS.*

LVNEBVRGI 1791.

APVD IOH. FRIED. GVIL. LEMKE.

# PRAEFATIO.

Quandoquidem talium Virorum, quales inſtituti mei judices mihi praeſertim exoptavi, comprobatum hoc ſcio: iter incœptum alacriter pergo et, DEO auſpice, jam generibus fungorum vulgatis appropinquo. Sed priusquam, quae Faſciculo hoc novo ſunt pertractata, attingimus; ne officio noſtro quoad ea, quae in priori ſunt tradita, deeſſe videamur: potiora ex iis, quae ibi annotanda, accuratius evolvenda ac caſtiganda poſtea comperi, jam breviter, age, perſtringamus.

MESENTERICA *tremelloides* β. p. 8. interdum longe ſatis lateque ſerpit. Sic a me viſa eſt nuperrime, ſuperficiem rami abietini, carie exeſi, in modum ferme Byſſi ſubterraneae SCOP. *carn. ed.* 2. *n.* 1451, late tegens.

ACROSPERMVM *lichenoides*, p. 9. in praeſenti nil mihi, praeter Lichenis cujusdam foliacei, decumbentis, varietas videtur; niſi forſan peculiarem generis jam dicti ſpeciem in planta noſtra agnosci præoptas; habitus enim vere omnis eam a genere novo propulſat.

In MEDVSVLAE *labyrinthicae* Tab. III. fig. 28. c. d. e. ſuppeditata effigie ſtipes duplo ſaltem craſſior, contra vero brevior pubidusque



pingi

pingi debuiſſet. Fructificationis ſedes quidem in genere hoc, collectis rationibus, non niſi in villo videtur quærenda: id, quod ex ſpecie quoque nova, a me detecta, ſatis elucescere mihi videtur; ſed in cruſtam reſinoſam certe non ſemper colliquescere villum illum, exempla fungilli denuo lecta domique aſſervata me docuere: unde colligo, ea, quae in deſcriptione expanſi hujus abnormis oculis ſubjecta habebam, ſive limacum hortenſium effluvio viscido oblita; ſive alia de cauſa fuiſſe depravata atque corrupta. Cæteroquin fungum hunc, ſub dio aeris injuriae expoſitum, denique plane diſparere & maculam ſolummodo nigram in ſede ſua nativa relinquere, compertum jam mihi eſt & exploratum. Plura igitur in genere hoc novo ſupereſſe penitius indaganda Jubentiſſime concedo eaque naturae ſcrutatoribus, ſi ſunt, qui veſtigia noſtra hic premere operae pretium ducunt, e tenebris eruenda committo.

TVBERCVLARIAM *vulgarem* β. pag. 18, varietatem porro ſalutari ſupervacaneum cenſeo; ſtipitem enim ſpeciei e globoſo-ventricoſo denique, more Boletorum quorundam, cylindricum ſimulque altiorem fieri, obſervationibus non dubiis jam mihi innotuit.

Nova qnaedam commemorabilisve HELOTII, ſeu Agarici elamellati, ſpecies, in foliis Hederæ terreſtris a me reperta, fructificationis modum hujus generis, dubitanter a me pag. 22 traditum, jam extra aleam ponit; contra ea vox *fugaciſſima* e definitione ibi obvia nunc eſt eliminanda.

In

In MYROTHECIO, nec non in VOLVTELLA, definiendis, inductus tum temporis rationibus quibusdam ſpcieoſis, loquendi formula uſus ſum minus appoſita, *repleturae ſeminalis* mentionem faciens, cujus loco omnino adhibenda erat alia vulgatior, minusque vaga, *ſeminum* ſcilicet *receptaculum*. *Volvae* vox, ibi aliasve a me pro integumento partiali fungi, vel ſeminum nempe, vel eorum receptaculi, ſenſu Hedwigiano ſumta, tum ſemper *velum* deſignat; ſatius autem duco, in poſterum volvae vocabulum non niſi in ſignificatione trita, involucrum totale fungi junioris indicante, uſurpare.

PYRENIVM *lignarium α* (pag. 33.) exoletum: h. e. poſtquam integumentum ejus candidum, byſſaceum, evanuit, cum planta, a *celeb.* WILLDENOW, *berol. n.* 1211, ſub nomine Sphaeriae olivaceae deſcripta, adeo congruere mihi videtur, ut parum abſit, quin pro una eademque planta utramque habere, me quaſi coactum ſentiam; ſed deſcriptio Willdenoviana preſſior in cauſa eſt, ut rem injudicatam relinquere malim: praeſertim cum fungillus meus, cruſtam illam evaneſcentem ſi excipias, in numerum plantarum ſimpliciſſimarum certo ſit referendus.

HYSTERIO generi, quoad definitionem ſaltem, pag. 30 datam, una cum ſpecie utraque, ibi in medium prolata, rationibus graviſſimis commotus, nuncium jam remittere non haeſito; obſervationibus enim ſollicite iteratis, ceu totidem teſtibus, tandem evictus ſum, H. quadrilabiatum re ipſa non niſi primordia alius fungi eſſe, Sphaeriae ſcilicet

 cujusdam,

jusdam, ad *Cirriferarum* ſubordinem pertinentis, ſed aut tempeſtate, aut caſu alio interveniente, corruptae ac deformatae. Aſt vero cum de H. bilabiato huc usque non niſi pauculis exemplis, eundem ramulum incolentibus, ſim potitus, cumque inſuper illud, ſicuti loco excitato monuimus, naturae admodum tenerae fluxaeque ſit; in tanto discrimine huic fungillo porro fidere, tutum conſultumve minime reor. Cum vero fungorum rima transverſali conchaeque figura notabilium, huc usque vero erronum, ſeu acephalorum, ſpecies quaedam inveniuntur, durabiles ſatis, ac vulgares, quo omnis palpi, oculis forte iterum obtrudendi, formido longiſſime removetur: hujusmodi dionaeos fungulos ſub unum genus, cui Hyſterii nomen, immutato ejus charactere, denuo poſui, congregare mihi libuit, quorum jam ſpecies tres Fasciculo hoc ſecundo deſcriptae inveniuntur atque depictae.

Adjeci inſuper novorum generum triadem, ut pleraque a me hactenus evulgatorum, microſcopicae, ſi ita loqui fas eſt, ſodalitatis, quae, licet, pro re nata, definitione in ſingulis aeque perfecta & completa praemunire non potuerim, hoc non obſtante, Viris ingenuis, recta via rem ſecum reputantibus, nec niſi aequa poſtulantibus, haud ingrata fore ſpero. Ad nauſeatores autem, ſi qui ſunt, et omnivolos quod attinet, hosce omnes ac ſingulos, imprimis vero ſi forſan nova Syſtemata moliuntur, data hac occaſione etiam atque etiam rogo, ne generibus meis novis ullam ſibi moleſtiam creari circulosque ſuos turbari ſinant; quin tacito pede haec omnino tranſeant perſuaſiſſimumque habeant, fungillos meos, ut Syſtemata ſua, viam certo eſſe inventuros.

E ſphae-

E Sphaeriis a me lectis eas ſolummodo huc evocavi, quae aut e rariorum, quin rariſſimorum, numero ſunt; aut quarum ſaltem ſtructura eas prae caeteris memorabiles reddit. Ab acaulibus incipiendo harum ſubordines tres, ex mea decuriatione priores, *Pulverulentas* puta, *Globiferas* ac *Styliferas*, hic recenſui, reliquos cum Sphaeriis caulescentibus in Fasciculum tertium, DEO juvante, reponens.

Saepius in deſcriptione Sphaeriarum noſtrarum mentio ſit tunicae cujusdam earum internae, e coagulo gelatinae, qua turgere plerumque cernuntur, formata: quae, cum primo a *celeberr.* WEIGEL obſervatam crediderim, ſacculi Weigeliani nomine a me ſignatur; ſed penſitatis denuo & ſollicite collatis, quae de ſacculo hoc in Obſervationibus ſuis botanicis paſſim ſtrictimque profert Vir longe eruditiſſimus mihique benevolentiſſimus: perſuaſum jam mihi eſt, eum membranam potius illam candidam, nitentem, a pluribus poſtmodum ſcriptoribus botanicis notatam, (Tapetium candidum nobile BATSCH. *cont.* I. *p.* 137.) innuere. Loco igitur ſacculi WEIGELII ſemper dici debuiſſet ſacculus viscoſus; loco autem ſacculi Batſchiani, Weigelianus, ſeu byſſinus; ſed rerum ſigna, terminos, inquam, quos vocant technicos, haud in magno ponemus discrimine, dummodo de rebus ipſis inter nos conveniamus. De ſacculi caeteroquin utriusque differentia confer ſis, quae pag. 8, Obſ. 2. differuntur.

Iter per Sphaeriarum regionem ſenticoſam obnubilamque perſequendo, raram per occultos ducere ſemitam calles, nimium, proh do-

lor!

lor! ſum expertus. Multa intento oculo incaſſum ſpectavi; compluscula per nebulam quaſi conſpexi; quaedam, ſpero, detexi.

Procemeinari tandem deſino; ſed non niſi honore Viris, ex humatate aeque ac doctrina ſua ornatiſſimis, qui conſilio & re in concinnandis hisce pagellis me juvare dignati ſunt, gratiſſima in Eos mente prius perſoluto.

Vale, LECTOR BENEVOLE, et TIBI, NATVRAE, ac ejus GENITORI vive.



# XXII. EPICHYSIVM.

Fungus ſeſſilis, rotundato-concavus; ſeminibus ecaudato-globoſis, diſtichis, filamento ramoſo, aream internam obrepenti, affixis.

## 1. EPICHYSIVM *argenteum.*

E. Cornu copiae forma, albidum, nitidiſſimum, ſtercoreum; fauce obliqua in fundo umbilicata.

Subſtantia fungi membranacea; figura propemodum Cornu copiae: h. e. infundibuliformis, limbo aut elliptico, aut reniformi, patenti-reflexo; margine obſolete repando paſſimque ſubtiliſſime inciſo; diametro plerumque ſesquilineari. Faux, ſeu corpus ipſum fungi inferne attenuati, a linea perpendiculari plus minus recedit, centro fundi umbilicato. Aſſurgunt inde filamenta ramoſa argentei coloris ac nitoris, quae ſpirarum fere in modum diſcum fungi anfractibus ſuis ad oram usque veſtiunt, &, ut lente admota elucescit, corporibus minutiſſimis, ut videtur, globoſis, contiguis, aeque argenteis colore nitidisque, quae pro ſeminibus habeo, utrique lateri affixis, ſtipantur. Superficies fungi externa laevis,

 colore

colore ex albido vireſcente. Ope fibrarum quarundam, ceu totidem radicularum, ſtercori bovillo, cui ad orificium usque eſt immerſum, arcte adhaeret. Corrugatam demum oram monſtrat totusque contrahitur. Media aeſtate ſparſim prodit; aſt perraro.

OBS. Interdum limbo gaudet perfecte rotundo, quod cum accidit, faux non obliquatur.

Figurae explicatio.

Tab. VIII fig. 60.

a. b. Fungi magnitudini naturali depicti.

a. Stercori immerſi;

b. hoc eruti.

c-e. Fungus ampliatus

c. oblique viſus;

d. perpendiculariter ſectus.

e. Segmentum fungi admodum auctum, quo facilius hujus fructificatio cerni queat.

# XXIII. PERICONIA.

Fungus globoſus, ſtipitatus; ſeminibus ſeſſilibus, decutiendis, capitulum ac ſtipitem ubique obducentibus.

## 1. PERICONIA *lichenoides*.

P. capitulo globoſo, veſiculari; ſtipite capillari, recto, rigidiusculo.

E caulibus plantarum varii generis, humi putreſcentium, poſt pluvias tepidas progerminant fungilli mucoriformes, aggregati, in oculos haud armatos vix incurrentes. Veſicula exacte globoſa & ſtipes capillaris firmulus, rectus, ſenſim pulviſculo fusco obteguntur, qui fructeſcentia peracta primo de ſtipitis parte ſuprema, tum autem de reliqua ejus ſuperficie, ſub idem vero tempus de veſicula quoque dejicitur: quo facto fungus argenti inſtar nitet, cujus quoque colorem jam monſtrat. Capitulum poſtea collabeſcendo coarctatur ad medium, ſeu conſtringitur, ſicque

ſicque formam ſphaericam cum ovali commutat, denique vero fit rugoſum. Vehementius ſi concutitur, decidit; ſtipes tum deflectitur; ſed nunquam decumbit. Reperi fungillum e cruſta tenuiſſima, plana, atra, quam maculam atram forte rectius dixeris, pullulantem, menſe Junio.

OBS. 1. Juniorem non vidi, quare de colore ejus, priusquam a ſeminibus incruſtatur, rationem reddere nequeo. Veſiculae partem inferiorem, his nondum obductam, pellucidam & Sanguinis draconis, ut loquuntur Pharmocopolae, amoeniſſimo colore tinctam vidi.

2. Deſcriptio hujus fungi lucem, opinor, haud parvam affundit Chordoſtylo byſſoidi noſtro (*Faſc. I. p. 38. t. 7. f. 53.*) Utrique nempe fungo ſtylus eſt pulvere deciduo conſperſus, et poſt fructescentiam argentei nitoris; utriusque capitulum deciduum; uterque denique ab humore calido ortum & alimentum trahit et, ad habitum omnem ſi reſpicis, ad mucores referendus. Quicquid eſt, planta l. c. deſcripta ad hanc noſtram multo propius accedere videtur, quam ad Chordoſtyla.

## Figurae explicatio.

Tab. VIII fig. 61.

a. Fungi magnitudine & ſitu naturali picti.

b-g. Fungus eximie augmentatus.

b. Fungus pulvsiculo ſeminali dum obtegitur.

c. Idem, hoc jam quaquaverſum conſperſus.

d. Idem, hunc decutere incipiens.

e. Idem, pulvere omni excuſſo.

f. Idem, ut capitulo deturbato demum apparet.

g. Veſicula fructificans deſuper per verticem ad amuſſim una cum ſtyli particula diſſecta.

# XIII. HYSTERIVM.

Fungus oblongo-acuminatus, cavus, ſeſſilis, linea transverſali ſuperne findendus, ſeminibus globoſo-ecaudatis, diſcum obducentibus.

OBS. 1. Rationes, quibus compulſus characterem hujus Generis Faſcic. I. p. 30. ſuppeditatum immutavi, Praefatio edocet.

2. Medium hoc genus inter Pezizas & Lichenes; leproſos, tuberculatos puta, ſeu Verrucarias *Wigg.* Ab his & nominatim a Lichene ſcripto L. (L. hebraico & pulicari *Hoffm.* Lich. I. 13. 14. t. 3. fig. 2. e. f.) ſeparat praeſertim conſtans fungi cavitas, ſeminibus nunquam farcienda, ſed hic ſolummodo obducenda; ita ut cruſtae abſentia.

## 1. HYSTERIVM *candidum.*

H. fuſiforme, papyraceum, aggregatum.

Admodum puſillum, ut greges ejus farinae ſparſae grumulae videantur. Subſtantia fungi ac color chartae ſcriptoriae ſimilis. Appropinquante fructeſcentiae tempore ab apice uno ad alterum usque ſuperne finditur & tum area interna apparet pulvere ſementivo minutiſſimo obducta. Seneſcens rugoſulus fit, labiis inflexis. In caulibus ex putredine cavis Braſſicæ oleraceæ albæ vigentem ſaepius vidi, Aprili.

### Figurae explicatio.

Tab. VIII fig. 62.

a. Fungorum grex magnitudine nativa depictorum.

b. Fungi lente aucti, alter junior; alter ſenior.

## 2. HYSTERIVM *caeruleum.*

H. elongato-ovale, membranaceum, cruſtaceum, ſparſum.

Tantillum priori majus; figura ſcaphulæ; ſubſtantia tenuiſſima; ſuperficies laevis; color dilute caeruleus. Fiſſuris, ſeu rimulis ligni quaſi infixus cernitur, qualibet cymba macula cingitur nigra, quam ſi cruſtam nuncupare mavis, per me licet. Semel modo exempla hujus plantæ vidi ſparſim e fruſto rami quercini emortui & cortice nudati protuberantia, Septembri. Non niſi aperta inveni; id, quod facit, ut figuræ & cruſtæ apparentis habita ratione verear, ut fungus hujus loci ſit.

### Figurae explicatio.

Tab. VIII fig. 63.

a. Fungi magnitudine ac ſitu naturali picti.

b. c. Fungus ampliatus

b. ligno inhaerens;

c. e ligno remotus.

3. HYSTE-

## 3. HYSTERIVM *nigrum.*

H. fuſiforme, coriaceum, obvelatum, aggregatum.

In epidermide ramulorum emortuorum Quercus obſervavi puſtulas oblongas, acuminatas, quae dum fiſſura longitudinali aperiuntur, fungum detegunt incluſum, fuſiformem, laevem, coriaceum, concavum, nigrum, velo fuſco, tomentoſo, anguſto, eodem tractu verticem, ſeu plagam ſuperiorem integram, fungi obtegentem. Sub & ſimul cum hoc velo per integram longitudinem ita ſinditur, ut conchae, ſive cymbæ, figuram inde obtineat. Diſcus maſſa quadam e murino cinerea, ſebacea, obductus apparet, quæ exſiccata ſemina minutiſſima conglebata ſiſtit. Fungus a linea una ad ſesquilineam longus tandem valde corrugatur & criſpatur. Obtulit ſe mihi Majo menſe.

Figurae explicatio.

Tab. VIII fig. 64.

a. Fungorum agmen magnitudine nativa depictorum.

b-e. Fungus ſub lente vitrea viſus.

b. Fiſſa jam epidermide; velo jam jam findendo.

c. Velo & capſula plane fiſſis.

d. Fungus decrepitus criſpatus.

e. Fungus adhuc clauſus extra epidermidem arboream viſus.

# XXIV. HYDROPHORA.

Fungus globoſus, ſtipitatus; capitulo aqueo; ſtipite capillari, ſubrecto; fructificatione ignota.

## I. HYDROPHORA *minima.*

H. capitulo cryſtallino; ſtipite recto, integro, rigidiuſculo, luteſcente.

Mucor tam puſillus, ut nudo oculo plane ſe ſubtrahat. Sparſim gregatimque tempore aeſtivo poſt dies pluvioſos in dejectis iisdemque exſiccatis ramulis, praeſertim Fagi, cortice quidem jam orbatis, ſed ab incipiente putredine nondum exulceratis, lentis ope facile detegitur. Capitulum, guttula aquea limpidiſſima, ſeta ex

albido luteſcente ſuffultum, formam initio ovalem mox globoſa mutat. Exinde fungillus per ſeptimanas integras nullam mutationem viſibilem ſubit; tum vero globulus contabescere incipiens, in medio magis magisque coarctatur, ſeu comprimitur, usquedum plane evanescat. De fructificatione nil certi in publicum promere poſſum; vidi autem capitulorum verticem ſæpiſſime flavedine quadam pergrata tinctum: quapropter ni fallacia forte, quam dicunt opticam, hic obtinet, ſeminum inviſibilium ſedes ibi quaerenda videtur.

OBS. Fungus hic minime rarus non confundendus eſt cum Mucore microscopico noſtro *in den Schriften der Berlin. Geſellſch. naturforſch. Fr. Tom. V. p. 162. tab. 9. f. 2.* deſcripto.

Figurae explicatio.

Tab. VIII fig. 65.

a. Fungus ut primo in conſpectum venit, mole perquam aucta depictus.
b. Idem, capitulo jam ſuccrescente.
c. Idem, capitulo perfecto.
d. Idem, hoc contabeſcere jam incipiente.

Vidi & ſpecies quasdam hac noſtra majores; ſed cum earum rite examinandarum ad naturamque depingendarum facultas mihi non conceſſa fuit, deſcriptionem earum ſaltem aliqualem in gratiam Mycophilorum adjiciam.

## 2. HYDROPHORA *tenella.*

H. capitulo cryſtallino, ſubpendulo; ſtipite erecto, griſeo, tenello.

An Mucor Aſpergillus *Scop. carn. 2. II. p.* 464. *n.* 1642?

Poſt pluvias autumnales in ramulis caulibusque putridis obſervavi longo ac denſo agmine crescentem. Altitudo nonuullarum (3-4) linearum. Styli tenuiſſimi, tenerrimi, (ſimplices?) Globuli vel tantillum quaſſati illico confluunt; ſtipites vero una collapſi ſtratum tum byſſinum ſtrage ſua conſtituunt.

## 3. HYDROPHORA *ſtorcorea.*

H. capitulo ſubpellucido ſtipiteque erecto, procero, ſimpliciſſimo, ſordide lutescentibus.

Lycogala petiolatum, aquoſum, flaveſcens *Hall. hiſt. n.* 2145.

E ſter-

E ſtercore humano, imbre praevio enatam ſemel vidi, media, ni fallor, æſtate. Tota planta aquoſa, colore albo paſſim in foede luteum, ſeu ochraceum, tranſeunte. Capitula ſemini Sinapis aequiparanda. Styli ſeta ſuilla longe craſſiores, erecti, ſubarcuati, triunciales ferme. Aggregate crescebat, ſedem natalem agmine non interrupto occupans.

OBS. Detexi nuperrime varietatem hujus fungi in ſtercore canino, pluvia macerato, vegetantem & priori ab omni parte ſimilem, magnitudine excepta, qua octuplo circiter minorem ſe mihi praebuit.

# XXV. SPHAERIA.

*Maſc.* Pollen ſuperficiei fungi vel integræ, vel exparte, idque aut immediate, aut mediante velo, inſidens.

*Foem.* Capſula ſubrotunda, per apicem perforatum expellens mucilaginem, ſeminibus minutiſſimis, ecaudatis, repletam, inter ejaculandum diverſimodo indureſcentem.

OBS. 1. Pollen illud a celeberr. *Hoffmanno* probe eſt notatum. (*Veg. cryptog. Faſc. I. Praef.* & *p. 11.*) Velum ubi in fungis obvenit, pollen innatum fovet. (*Hedw. Theor. generat. & fructific. pl. cryptog. p. 136.*) De varia hujus veli in variis Sphæriæ ſpeciebus figura ac ſtructura in earum tractatione ipſa fuſius, quam hic commode fieri poterat, agemus.

2. Mucilago, ſeminibus foeta, capſulis aridis & vacuis mox, ut inter omnes conſtat, reſtauratur, ſi humectantur; ſed quoties expellitur, extemplo, quin ſaepiſſime in ipſo capſulæ orificio rigeſcit. Indureſcendo autem induit formam

a. Glebularum minimarum fatiscentium, ſeu pulveris. Sphæriæ, quibus hic rigendi mos eſt, mihi audiunt *Pulverulentae.*

b. Globuli ſolitarii, decidui, fatiſcentis: *Globiferae.*

c. Styli, ſeu corniculi, decidui, fatiscentis: *Styliferae.* (*Ceratoſperma Mich.*)

d. Cirri: *Cirriferae.* (*Naemoſporae Willd.*)

α. ſcabri, opaci, fatiscentis;

β. laevis, pellucidi, ſolubilis.

e. Villi evanescentis, *Villiferae.*

Diverſus hic mucilaginis induréscendi modus adminiculo nobis egregio eſſe poterit, Sphæriarum cum acaulium, ſimplicium æque ac compoſitarum; tum caulefcentium ingens

ingens agmen in totidem familias congruas diſpeſcendi, ſingulisque ſpeciebus locum ſuum ad naturæ ipſius leges aſſignandi. Accidet vero haud raro Sphæriarum indagatori, ut de mucilaginis illius determinato indurescendi modo nequaquam certior fieri queat: tum equidem ſemper ejusmodi ſpeciem *Pulverulentis*, familiæ ſcilicet maxime vulgari, annumerari; at uſu evenire facile poterit, ut earum nonnullæ ad aliam aliquando ſint tranſituræ.

## † *Acaules.*

## *) *Pulverulentae.*

### 1. SPHAERIA *mollis.*

S. ſimplex, atra, aggregata, nitidiuscula, ſubpapillata.

Figura ſphaerica; ſed non perfecte, baſi ſubdepreſſa. Magnitudo puncti. Color externus ater cum aliquo nitore; internus fuſcus. Orificium planum interdum cernitur pertuſumque, interdum in papillam ſuccrescentem elevatnm. Natura corticis mollis, cultello in modum pelliculae facile cedens. Inanes ſaepe capſulas; refertas vero quandoque tela araneoſa candida, (*Hoffm. l. c. p.* 5) in hoc fungorum genere ſæpiſſime obvia, reperi. Denſiſſimo agmine crescit in ramulis putridis excorticatisque Fagi. Junio.

OBS. 1. Non confundenda cum Sphæria ſpermoide *Hoffm. cryptog.* II. *p. 12. t. 3. f. 3.*

2. Tela illa araneoſa, cujus quoque meminit *Lightf. ſcot. p. 1069. n. 5.* valde memorabilis mihi videtur. Gignitur hæc in mucilagine Sphærias replente & haud raro per orificium earum expellitur, quod cum accidit, figuram globuli candidi bombacini habet; ſed mox complanatur & tum in modum veli papillam obtegit, a qua, ſubſequente mucilaginis ſpermophoræ profluvio, perforatur. At vero non ſemper per orificium Sphæriarum expellitur, ſed in his poſt mucilaginis expreſſionem ſæpe ſub forma telæ araneoſæ, integram fungi cavitatem explentis, remanet. Rumpitur vero poſtmodum in medio & tum ad parietes Sphæriæ rupta filamenta recedunt, ubi conſidentes ſacculum candidum nitentem conſtituunt, a cel. *Batſch'o* Tapetium nobile candidum appellatum; (*cont. I. p. 137.*) a ſacculo conſimili, e reſiduo mucilaginis ejaculatæ quandoque formato, hujusque colorem retinente, quem Weigelianum a nomine primi detectoris (*Obſ. 36. p. 41.*) poſtea ſemper nuncupabo, probe discernendum.

Figurae

Figurae explicatio.

Tab. IX fig. 66.

a. Sphæriæ cohortes magnitudine naturali exhibitæ.

b. Fungus lente ampliatus.

c. Idem ad perpendiculum ſectus.

## 2. SPHAERIA *triſtis*.

S. ſimplex, aggregata, atra, immerſa, lichenoides, minima, granulata.

Vix viſibiles capſulæ globoſæ, atræ, externe obſolete granulatæ, e cruſta tenuiſſima tomentoſa nigra, ſub lente nigro-fusca, agmine denſo protuberant, ad medium usque ligno immerſæ. Orificium planum, ſeu pertuſum. Capſularum parietes interne partim tapetio Batſchii, ſeu tunica candida byſſacea, veſtitas inveni; partim inanes atque nudas. Obtulit ſe mihi hæc rarior ſpecies in ſuperficie rami cujusdam ſubputridi, cortice nudati. Majo

Figurae explicatio.

Tab. IX fig. 67.

a. Fungorum agmen, magnitudine naturali pictum.

b. c. Fungus lente auctus.

b. Ligno extractus.

c. Ligno immerſus, e vertice per orificium ſectus.

## 3. SPHAERIA *cinnabarina*.

S. ſimplex, ſparſo-aggregata, rubra, ovalis, granulata.

In apice ſtipitis Tremellæ purpureæ L. ſeu Tuberculariæ vulgaris $\alpha$ noſtræ (*Faſc.* I. *p.* 68.) dejecto pileolo putrescentis, nec non ad baſin ejusdem fungilli enatam ſparſim gregatimque vidi Sphæriam quandam minimam colore cinnabarino lætiſſimo; figura globoſa aliquantulum in ovalem producta; ſuperficie granulata, vertice depreſſo. Aperturam non vidi, nec mucilaginem capſulis contentam; quam vero ejusdem coloris eſſe inde colligo, quod has materia viscida rubra illitas conſpexi. Septembri.

OBS. An globuli a celeberr. *Weigel* in fundo Tremellæ purpureæ L. obſervat *(Obſſ. p. 46.)* forte Sphæria hæc noſtra paraſitica fuerunt? Non confundi caeterum debet cum Sphæria rubra *Wigg. holſ. n. 935.*

Figurae explicatio.

Tab. IX fig. 68.

a. Fungi quidam magnitudine naturali picti.

b-d. Fungus mole aucta delineatus.

b. Fungi nonnulli ad baſin Tuberculariæ vulgaris extuberantes.

c. Fungus ſua ſede remotus.

d. Idem ad amuſſim ſectus.

## 4 SPHAERIA *byſſiſeda*.

S. ſimplex, ſparſa, mammiformis, bicorticata, cruſtæ filamentoſæ innaſcens.

α. griſea.

Magnitudo ſemini aequiparanda Sinapis; figura capſulæ globi aliquantum compreſſi. Cortex exterior membranaceus, lævis, nitidus, admodum tenuis, e livido griſeus; interior craſſiuſculus, durior, atri coloris. Papilla ferme conica, initio clauſa, poſtmodum aperta. Capſulas interne ſacculo Weigelii griſeo tomentoſo veſtitas & mucilagine ejusdem coloris repletas vidi. Singulæ, rarius geminæ, inſident expanſo cuidam rotundato, figura convexa, e fibris, ſeu filamentis firmulis, laxius contexto: maſſulis hisce ſtuppeis confluentibus, lignumque circumquaque obducentibus. Sub finem Martii varietatem hanc pulchram aeque, ac raram, reperi in ramulo Salicis albae putrescente.

Figurae explicatio.

Tab. IX fig. 69.

a. Fungi ſparſi magnitudine ac ſitu naturali.

b. c. Fungus lente vitrea auctus.

b. ſtrato filamentoſo exemtus;

c. per papillam, ſeu e vertice, ſectus.

β. fuſca.

A varietate α differt magnitudine aliquantum minori; tum colore corticis exterioris

terioris fuſco; porro papillæ atræ, in formam quandoque cylindri demum ſuccreſcentis; tunica demum Weigeliana, quæ hic non tomentoſa, ſed viscoſa ac nigra eſt. Cruſta byſſacea, ex qua ſparſim protuberat, continua, fuſca, filamentis longiusculis, diviſis, denſis, mollioribus, perplexis conſtat, quæ dum exſiccantur, vellus quoddam molliusculum conſtituunt. Capſulas nunc maſſa nigra, viscida, repletas, nunc caſſas, tunica ſolummodo jamque deſcripta interne obtectas vidi. In cortice rami quercini putridi. Majo.

Figurae explicatio.

Tab. IX fig. 70.

a. Fungorum acervus magnitudine naturali pictorum.
b. c. Fungus lente ampliatus
 b. aetate juvenili;
 c. ſenescens, papilla elongata.

## 5. SPHAERIA *mobilis*.

S. ſimplex, conferta, globoſa, mobilis; papilla decidua.

An Sphæria Mori *Dickſ. Cryptog. p. 22*? Deſcriptio ſaltem admodum convenit, colore excepto.

Ad minimas ſui generis referenda. Capſula exacte ſphærica, lævigata, admodum tenera, ſeu mollis, coloris obſcure fusci in nigrum denique tranſeuntis. Papillam fungus ſenior ſæpius dejicit; eſt enim inſititia: quod cum ſit, orificio præditus pertuſo cernitur. Contiguas, quin coacervatas inveni capſulas; eſt enim peculiare huic noſtro, ut, cum radice nulla gaudeat, facile ſe quaquaverſus moveri ſinat. Capſulas tum mucilagine dilute lurido, ſeu livido, repletas; tum tunica ſolum illa Weigeliana interne veſtitas, tum omnino inanes vidi. Obvenit mihi in ramulo putrido excorticato Quercus. Majo.

OBS. E colore hujus tunicæ, ſeu ſacculi, hic lateritio, admodum probabile mihi ſit, capſulam ipſam prima juventute eodem, ſeu rubro colore eſſe tinctam; ſed non niſi fuſcam vidi.

Figurae explicatio.

Tab. IX fig. 71.

a. Fungorum greges aliquot magnitudine naturali pictorum.

b. Acervus eorum lente auctorum.

c. Fungus ampliatus ad perpendiculum ſectus.

## 6. SPHAERIA *porphyrogona*.

S. ſimplex, aggregata, phialæformis, atra, cruſtæ tenuiſſimæ violaceæ innata.

An Sphæriæ acutæ *Hoffm. crypt.* I. *p.* 22. *t.* 5. *f.* 2. varietas?

In caulibus putridis Solani tuberoſi paſſim apparent maculæ amœne violaceæ, oblongæ, unius unciæ & quod excurrit longitudine. Ex hac cruſta tenuiſſima, ſi mera macula cruſtæ nomen meretur, eminent ad medium usque capſulæ læves, atræ, minutiſſimæ; papilla habitiori, procera; corpore compreſſo, baſi complanata. Non niſi inanes vidi. Majo.

Figurae explicatio.

Tab. IX fig. 72.

a. Fungi cruſtæ inſidentes magnitudine nativa delineati.

b. c. Fungus lente vitrea augmentatus

b. in ſitu naturali;

c. liber, ad perpendiculum ſectus.

## 7. SPHAERIA *macroſtoma*.

S. ſimplex, aggregato-ſparſa, globoſa; orificio largo, labiato.

*α.* nigra.

Seminis papaveris magnitudine gregatim e ligno extuberat, colore nigrescente: externe lævis; interne non niſi vacuam conſpexi. Orificium umbonatum, in formam oblongam criſtæ, ſeu lobi, extenſum, nitidum, atrum, primum e ligno emergit; capſula ipſa tunc temporis adhuc plane demerſa; at paulatim ad medium usque protruditur. Criſta, initio integra, poſtmodum in bina labia finditur; fiſſura hac mucilagini erumpenti exitum dante. In ligno ipſo rami cujusdam, putredine admodum jam exeſi, obſervavi Aprili menſe vegetantem.

Figurae explicatio.

Tab. IX fig. 76.

a. Fungi aggregati ligno infixi.

b. c.

b. c. Fungus, ut lente auctus apparet.

b. Fungi tres, erumpens, adolescens, adultus.

c. Fungus e vertice ſectus.

β. fusca.

Admodum cum varietate α congruit, ſed hac eſt minor & capſulæ color fuscus, at osculum æque atrum nitidumque. Detexi ramuli cujusdam putrescentis, cortice exuti, ſuperficiei ſparſim gregatimque immerſam. Majo.

γ. nigro-fusca.

A varietate præcedente in eo discrepat, quod capſula nigra ſub microscopio nigro-fusca ac ſubtomentoſa appareat, osculo ſpadiceo, lævi, nitido. Color capſularum interna ſuperficie idem eſt, ſed dilutior: non niſi inanes vidi. Obvenit ſparſim crescens in Hederæ terreſtris & Lonicerae Periclymeni ſtipitibus aridis Aprili & Majo.

δ. libera.

Magnitudine varietatem α æquat. Figura ſphærica; cortex exaſperatus, niger, durus; osculum atrum, laeve, nitidum, ſubhians. Sparſim crescit, ligno haud immerſa. Capſulas omnes inanes inveni; vidi autem in fruſtulo ligni quercini, humi jacentis.

Figurae explicatio.

Tab. IX fig. 77.

Fungus, uti lente admota ſub aſpectum venit.

ε. pileata.

Cum varietate α omnino fere convenit, figura nempe ſola oſtioli, quæ hic eſt ferme ovalis, excepta; complanatur id ſcilicet ſuperne, lateribus ad verticem capſulæ contractis: unde cono truncato, inverſo quodammodo ſimile fit. In ramulis aridis tum cortici, tum libro, immerſam reperi primo vere. Cortex durus & friabilis.

Figurae explicatio.

Tab. IX fig. 78.

Fungus augmentatus ligno exſculptus.

## 8. SPHAERIA *roſtrata.*

S. ſimplex, aggregato-ſparſa, globoſa, longiſſime roſtrata.

α. atra.

Capſula globoſa, atra, extus granulata, ſeminis Papaveris fere magnitudine; intus ſacculo Batſchiano candido arcte veſtitam reperi, cæterum inanem. Loco papillæ roſtro prædita eſt prælongo, atro, ſubulato, ſeu ciliari, erecto, apice ſubinflexo, fragili, oſtiolum, ut videtur, occludente. Perforat roſtrum hoc lignum, capſulæ ſcilicet demerſæ & ſenſim altiora petenti viam pandens, quæ tandem ita elevatur, ut tota in conſpectum veniat. In ſtipitibus Fagi cæſis ac putrescentibus ſparſim habitat. Julio.

### Figurae explicatio.

Tab. IX fig. 79.

a. Fungi ligno partim infixi, partim ex hoc emergentes emerſique, magnitudine depicti naturali.

b-d. Fungus lente ampliatus.

b. Roſtrum ſummum fungi adhuc latentis.

c. Fungus lignum ſupereminens.

d. Idem perpendiculariter diſſectus.

β. nigro-fusca.

Tam puſilla, ut oculo non armato aegre ſe cernendam præbeat. Capſulas nigro colore ad fuscum vergente, læves, nitidas, molles, mucilagine cinereo-virescente repletas vidi. Apex earum cum roſtro baſi incraſſato confluere videtur. Id cum in varietata α interdum quaſi articulatum, ſeu geniculatum, appareat, in hac ſemper enode inveni. Sparſim vegetantem obſervavi in ramo putrido Quercus. Septembri.

OBS. Vidi varietatem granulatam, æque minutiſſimam, e ligno ſtipitis faginei putrescentis denſo agmine protuberantem, capſulis ex parte mucilagine repletis, partim vero ſacculo Batſchiano candido obductis. Julio.

### Figurae explicatio.

Tab. X fig. 80.

Fungi quidam mole aucta picti, tribus eorum ligno latentibus, uno verum ex hoc jam plane emergente.

9. SPHAE-

## 9. SPHAERIA *comata.*

S. ſimplex, aggregata, globoſa, vertice capillata: capillis faſtigiatis, conniventibus.

α. atra.

E ſtipulis caulibusque plantarum exſiccatis poſt pluvias gregatim confertimque progerminant capſulæ globoſæ, læves, teneræ, atræ, arenulæ magnitudine, hemiſphærio ſuperiore capillis, ſeu filamentis prælongis, atris, coni truncati inverſi figuram æmulantibus, hirtæ; capillorum enim erecto-reflexorum apices ita connivent, ut culmen capillitii ferme truncatum appareat. Pondere hujus capſula intus fusca frangitur, ſeu in medio diſſilit. Materia tenera & leviter cohærente fusci coloris repleta eſt, quæ ſub cultello ita corruit, ut vix ejus veſtigium remaneat. Aprili ſatis frequens.

OBS. Coma hujus Sphæriæ ſpecies forſan Byſſi cujusdam filamentoſæ, tempore vernali obviæ, eſt. Ad baſin ſaltem Sphæriæ Cucurbitulæ (de qua infra ſermo erit) omnino ferme ſimilem obſervavi, decumbentem quidem initio, ſed poſtea erectam, hancque plane obtegentem. At vero coma in hac noſtra nunquam deficit.

### Figurae explicatio.

Tab. M fig. 81.

a. Fungorum caterva magnitudine nativa delineatorum.
b. Fungus lente magnopere adauctus.
c. Idem, directione perpendiculari diſſectus.

β. fusca.

Præcedenti varietati perfecte ſimilis, colore excepto, qui in hac fuscus eſt, qualem nempe e mumiis præparare ſolent pictores. Multo rarior quoque eſt; inveni autem confertim e ligno ſaligno plane putrido progerminantem Aprili.

## 10. SPHAERIA *mucida.*

S. ſimplex, conferto-aggregata, globoſa, tomentoſa; cortice papillaque atris; tomento mucido.

α. cinerea.

Confertim ſæpiſſime agmine uncialis fere menſuræ provenit, magnitudine tum Sphæriæ ſpermoidis *Hoffm.* Sed paulo major interdum obvenit, & tum aggregata

invenitur.

invenitur. Capſulæ quandoque ad ovalem figuram tantillum accedunt. Color eſt illis, uti papillæ, piceus, ſuperficies lævigato-punctata. Papilla excepta, tota Sphæria villo curto, ſeu tomento griſeo-albido, tenerrimo, molli, tecta eſt, quo fit, ut mucore quaſi obducta appareat. Fibrarum quarundam ope, ceu tot radicularum, ligno affigitur. Haud admodum rara ſpecies, quam tamen nusquam deſcriptam inveni. In lignis putrescentibus, Salicis præcipue, reperi, capſulis liquore atro-viridi repletis, menſe Septembri ac Octobri.

Figurae explicatio.

Tab. X fig. 82.

a. Fungorum acervuli ad naturam delineati.
b. Fungus per lentem viſus.
c. Idem per orificium recta ſectus.

β. alba.

Concordans in omnibus cum præcedente varietate; ſed tomento albo obſita & rara admodum eſt. Sparſim ramo cuidam cortice orbato, & putredine admodum corrupto, innatam vidi. Octobri.

γ. fusca.

De hac varietate quoque valent, quæ de prima dicta ſunt; ſed magnitudine hanc aliquantum antecedit & in noſtra tomentum fuscum & valde delicatum eſt. Capſulæ lineari plerumque tractu protuberant, contiguæ; haud raro nutantes cernuntur. Papilla, principio fusca, ſenſim atrum colorem induit. E rimulis lignorum putridorum progerminat Septembri.

OBS. Papillæ forma a varietate α & β nonnihil differt, quam nec perforatam vidi: nescio igitur, an illis rite adjungatur.

Figurae explicatio.

Tab. IX fig. 75.

a. Fungorum lente auctorum ſeries.
b. Fungus perpendiculariter ſectus.

## 11. SPHAERIA *calva.*

S. ſimplex, ſparſa, atra, papillata; hemiſphærio ſuperiori glabro, inferiori hiſpido.

Diameter

Diameter capſulæ vix dimidium lineæ aſſequitur; color piceus; figura ſphæroidea, ſeu mali aurantii. Sphæria ſuperne ad medium usque glabra, nitida; inferne ſetis hiſpida. Oſtiolum papillæforme; capſulas inanes vidi. In ramulo dejecto, arido, obſervavi Martio.

Figurae explicatio.

Tab. X fig. 83.

a. Ramuli fragmentum, cui Sphæriæ inſident magnitudine nativa pictæ.

b. Sphæria, ut ſub lente apparet.

c. Eadem ad amuſſim per papillam ſecta.

## 12. SPHAERIA *hiſpida.*

S. ſimplex, ſparſa, pyriformis, hiſpida, atra.

Capſula ovata, ſemilineam circiter longa, cum papilla ita confluit, ut Sphæriæ figura pyro inverſo ſimilis ſit. Externe ſetis remotis, brevibus, ad baſin vero longioribus, obſita eſt; intus mucilagine livido-virescente repletas capſulas vidi. Sparſim in ramulo quercino, cortice nudato, vegetantem reperi, Septembri.

Figurae explicatio.

Tab. X fig. 84.

a. Fungorum grex magnitudine naturali pictorum.

b. Fungus per lentem viſus.

c. Idem ad perpendiculum ſectus.

## 13. SPHAERIA *inquinans.*

S. ſimplex, aggregata, obvelato-papillata, atra, immerſa; ſeminum glebulis ejectis cylindricis.

Sedes ejus in cortice ramorum emortuorum Aceris Pſeudo-Platani, quos ferme integros occupat. Figura capſulæ globoſa, in papillam faſtigiata; color piceus; magnitudine ſemine Braſſicæ haud multo minor; ſuperficies utraque lævis. Infixa eſt alburno; corticem inhabitat, papilla ad epidermidem pertingente. Increscendo dum magis magisque extenditur capſula, eodem tempore epidermis a papilla ſubjacente in modum puſtulæ elevatur, usque dum ab illa in mucilaginis ejaculatione una



cum

cum velo quodam albo, byſſino, plano, puſtulæque quaſi agglutinato; perforatur: quod priusquam fit, hujus mucilaginis egurgitatæ portio per orificium papillare ad latera Sphæriæ quaquaverſus defluit & partes contiguas, v. c. ſtratum corticis ſuperius, atro colore tingit. Seminum glebulæ, ſeu paſtæ, quam copioſiſſime ejectæ, figuram exacte teretem, ſeu cylindri, habent, ſubinde arcuati, ſeu lunulæ: indicio manifeſto, mucilaginem ſeminibus fartam, dum per oſtiolum ejicitur, in ipſo ejaculationis actu, ut primum aeri exponitur, rigescere & in formam jam dictam coalescere. Floret Aprili.

OBS. 1. Nequaquam igitur ſemina ſingula ſicca, ut vulgo creditur, e Sphæriis evomuntur; ſed ipſa mucilago ſemina continens expellitur, illico, ut monuimus, indurescens & ſic glebulas multiformes producens, quæ in pulviſculum delicatiſſimum fatiscunt, & tum demum ſingula ſemina cernuntur.

2. Faciem primigeniam veli margine repandi nondum nosco, cum huc usque capſulas juveniles non viderim; dubito vero, id ortu jam ſuo eſſe planum.

## Figurae explicatio.

Tab. X fig. 85.

a. b. Fungi naturali magnitudine delineati.

- a. Rami fragmentum Sphæriis ſub cortice latentibus plenum.
- b. Ramuli particula diſſecti, quæ capſulas in cortice nidulantes ob oculos ponit.

c–f. Fungus per lentem viſus.

- c. Fungus cortici rami immerſus, uti ad amuſſim e vertice diſſectus apparet. Corticis ſtratum ſuperius mucilaginis effluvio tinctum hic exhibetur.
- d. Fungus e cortice rami effractus, adhærentibus ei hujus corticis ramentis, ſuperficiei Sphæriæ, initio viscidæ, agglutinatis.
- e. Fungus ſeminum paſtillis cylindricis exploſis ubique cinctus.
- f. Velum, fungum ſub epidermidis tumore latentem obtegens.

## 14. SPHAERIA *fiſſivela.* Vid. p. 63.

= Tympanis conspersa, cr. J. II. p 419.

S. coacervata, globoſa, atra: maſſa glutinoſo-farinacea, umboniformi, findenda, capſularum congeriem obtegente.

In epidermide rami emortui faginei conſpexi Majo menſe puſtulas rotundatas &

& ovales, linea pariſina aliquantum longiores, e quarum vertice fiſſo maſſa candida, viscido-granulata in formam umbonis, ſeu lobi oblongi, recti, aſſurgebat, quam vero, rima puſtulæ ſenſim dilatata, ſupra hanc depreſſam fieri, tum vero ibi eodem modo, & ſpatio, ac puſtulam, findi obſervavi. Quo facto maſſa illa candida, fiſſuræ epidermidis utrobique adhærens & paulatim arescens, membranulæ erectæ, undulatæ, ſeu binis labiis, fit ſimilis. Hians puſtula prodit capſulas globoſas, minimas, atras, læves, cavas, orificio viſibili carentes, puſtulæ vero cavitatem denſe replentes.

OBS. E Sphæria ſpermoide materiam farinaceam ejici, obſervavit celebert. *Hoffmann.* (*Cryptog.* II. *p.* 12.) Materia iſta, dubia procul primum viscida, in noſtra, ut videtur, granula, ſeu globulos farinaceos, invicem conglutinat: quo fit, ut maſſam initio continuam, umboniformem, poſtea in medio fiſſam, velo fiſſo admodum ſimilem, conſtituant. Utrum verum velum, an potius expanſum ſeminibus conglobatis conſtans? Non dubito quin prior ſententia ſit tenenda. Conf. infra Sphæriam ultimam.

### Figurae explicatio.

Tab. X fig. 86.

a. Fungorum agmen ſub epidermidis tuberculis latentium & magnitudine nativa depictorum.

b-f. Fungus ſolitarius lente auctus.

b. Maſſa umboniformi erumpente.

c. Eadem jam fiſſa.

d. Tuberculum ad perpendiculum ſectum.

e. Capſula externa facie.

f. Eadem e vertice ſecta.

## 15. SPHAERIA *confluens*.

S ſimplex, confluens, atra, papillata, volva fugaci.

Ad Sphærias lineares, h. e. lineari tractu lignis inſidentes, pertinet. Capſulæ globoſæ, papillatæ, atræ, nitidæ, prædurae, friabiles, non ſolum lateribus confluunt, ſed quoque e ſubſtantia oblonga, convexa, quæ cum corticis ipſarum maſſa eadem eſt, ceu ex baſi communi, ita protuberant, ut quondam inferne liquefactæ fuiſſe videantur. Obvolutæ prima ætate cernuntur volva tenerrima, mucida, nivei coloris, quæ & fundamentum illud, apparenter antea liquefactum, obtegit; ſed

mox ex integumento hocce papillæ emicant, tum ſuperiori parte capſulæ pſæ, quæ ſenſim plane denudantur, denique volva penitus evanescit; remanet tamen macula candida, capſulas circumfluens in ligno. Repletas has vidi mucilagine ex livido-viridi lurida; vidi tapetium Batſchii candidum, nitidum ad parietes internas fuscas; vidi tela araneoſa Hoffmanni alias plenas; vidi & caſſas. Habitat ſatis frequens in lignis carie conſumtis, præſertim Salicis. Martio viget inſequentibusque menſibus.

### Figurae explicatio.

Tab. X fig. 87.

a. Fungorum acervi nonnulli, magnitudine naturali delineati.

b-d. Fungi ampliati

b. Volva vel omnino, vel ex parte tecti.

c. Volva jam denudati.

d. Sphæria verticaliter diſſecta.

## 16. SPHAERIA *artocreas.*

S. ſimplex, ſparſa, atra, mammiformis; contabescendo convexo-complanata, plica annulari.

In foliis emortuis Fagi cernuntur tubercula admodum parva, ſparſa, atra, retrimento Muscæ vomitoriæ perquam ſimilia, quæ, ſi lente admota perluſtrantur, Sphærias ſiſtunt mammiformes, coloris picei, ſuperficie læves, punctatas, papilla perforata. Senescentes dum collabescunt, forma earum ex hemiſphærica plus minus fit depreſſior; plica enim tum apparet in media circiter ſuperficie, papillam in modum annuli cingens, & tum fungillus artocreatis figuram quodammodo æmulatur. Cortex lentus, membranaceus. Repletas vidi capſulas pulvisculo tenerrimo, griſeo. Auguſto.

OBS. Collapſam ſolummodo vidi hanc Sphæriam; ſed dimenſio peripheriæ in fungo decrepito, plicæ, ſeu rugæ altioris, rationem ſi habueris, formam primævam hemiſphæricam ſatis manifeſtat.

### Figurae explicatio.

Tab. IX fig. 73.

a. Fungi folio inſidentes, magnitudine naturali picti.

b. Sphæria

b. Sphæria contabescens, ſub lente viſa.
c. Eadem ad perpendiculum ſecta.

## 17. SPHAERIA *complanata.*

S. ſimplex, aggregata, mammiformis, pulla; collabescendo complanata.

Ad minimas referenda. Caulibus plantarum humi putrescentibus agmine longo innascitur. Figura globi, in hemiſphærio inferiori immerſo compreſſo. Superficies ſcabro-tomentoſa, colore nigro ad fuscum vergente, ſeu pullo; papilla atra, nitida. Fungus adultus, quantum e ſede natali eminet, mammiformis; collapſus poſt mucilaginis ſpermophoræ exploſionem, complanatur. Majo.

Figurae explicatio.
Tab. XI fig. 88.

a. Fungorum cohors magnitudine nativa pictorum.
b. Fungi quidam lente ampliati, ut forma nativa & collapſi apparent.
c. Fungus adauctus ad perpendiculum ſectus.

## 18. SPHAERIA *epiſphæria.*

S. ſimplex, aggregato-ſparſa, purpurea, globoſa; collabescendo complanata; papilla convexo-oblonga.

Peziza granati coloris pellucentis *Hoffm. crypt.* I. *p.* 7. *Obſ.*

Discum Sphæriæ ſtigmatis *Hoffm.* ſparſim gregatimque ſupercrescit hæc noſtra, tam parva, ut ægre oculis haud armatis contemplabilis ſit. Figura ejus initio globoſa, ſubcompreſſa in modum mali aurantii, papilla verticem occupante pulvinata, oblonga, nitidiſſima, colore purpureo ſaturatiori, ſeu granati, ſimili quidem admodum papillæ Sphæriæ macroſtomæ, ſed rima viſibili nunquam prædita. Superficies fungi amœne carmaſini, pellucidi, lævis, nitida. Subſtantia admodum tenera: quare mature collabitur Sphæria & ſenſim compreſſa, necnon depreſſa; (ſic a celeberr. *Hoffmann* viſa & proinde pro Peziza habita;) tandem vero fit complanata, ambitu tum ovali, ſeu eliptico. Umbo quidem, papillam puta, ſemper figuram coloremque primitivum conſervat; ſed capſulæ color in morboſe rubrum & ex hoc in fuscum ſenſim deflectit. Fungulum, vere frequentiſſimum, non niſi inanem vidi.

OBS. 1. Sedes ejus ordinaria quidem eſt Sphæria ſtigma devigescens; attamen eam in ramulo quoque emortuo Cratægi Oxyacanthæ ſemel reperi.

2. In fungo hoc memorabili adhuc quædam, notatu forſan digniſſima, delitescere, ecquis non videt?

## Figurae explicatio.

Tab. XI fig. 89.

a. Fungillorum cohors, Sphæriam ſtigma, ramuli arborei fragmentum obrepentem, incolentium. (Omnia magnitudine nativa ſunt depicta.)

b. Alia eorum cohors Sphæriæ jam commemoratæ inſidentium, ut ſub lente conſpiciuntur.

c-f. Fungus ſolitarius augmentatus

c. ætate juvenili, nondum collapſus;

d. jam collabi incipiens;

e. omnino collapſus.

f. Fungus e vertice ad perpendiculum ſectus.

# 19. SPHAERIA *moriformis.*

S. ſimplex, aggregato-ſparſa, atra, ovalis, tuberculoſa.

*α.* vulgaris.

Satis frequens Sphæria hæc e ligno putrescente ramorum querneorum jam ſparſim, jam aggregata pullutat, interdum ad lineæ menſuram prope accedens, ſæpius vero ſemilineæ altitudinem vix aſſequens. Color piceus; ſubſtantia dura, friabilis; figura ovalis ſubelongata; ſuperficies tuberculoſa. Aperturam in vertice nunquam conſpicatus ſum, (forte minutiſſimam;) punctulum autem nitidum in tuberculorum apice notavi. Cavitas Sphæriæ pulte alba repleta eſt, quæ cum arescit, in telam araneoſam *Hoffm.* transformatur. Hæc ut primum in centro rupta eſt, ad parietes capſulæ retrahitur, ibique quaſi conſolidata hos membrana candida, nitente, ſeu tapetio nobili Batſch. obducit, denique, ut conſuetudo ejus fert, evanescente. Telæ illius ſubſtantia cultello ſi diſſecatur, cerea, ſeu Spermati ceti ſimilis, ſentitur. Martio ac Aprili.

OBS. A Sphæria cinnabarina (*p.* 9.) noſtra non ſolum colore & cortice duro ac friabili, ſed & pediculi rudimento, cui innititur, ſatis differt.

Figurae

Figurae explicatio.

Tab. XI fig. 90.

a. Fungorum acervus magnitudine nativa pictorum.

b. Fungus lente vitrea ampliatus.

c. Idem ad amuſſim ſectus, uti, tela araneoſa in membranam candidam jam converſa, interne ſtratus cernitur.

β. faſciculata.

A varietate præcedente in eo ſolum differt, quod capſulæ e baſi communi homogenea, oblonga, ſub epidermide ligni latente, confertæ proceantur, unde hæc pro Sphæria compoſita habenda eſt. Finditur quoque eundem in modum, ut in compoſitis, cortici arboreo immerſis, epidermidis puſtula, quo facto capſulæ appreſſæ e rima prominent. Puſtulæ oblongæ, utrimque acuminatæ, transverſales, bilineares inveniuntur. Rariorem hanc varietatem in ramo Coryli Avellanæ emortuo conſpexi, Aprili. Capſulas ſubcylindricas partim tela araneoſa candida repletas, partim vacuas inveni.

γ. globoſa.

Figura hujus globoſa mali aurantii, interdum pulvinata; magnitudo ſeminis Papaveris. Quoad cætera cum varietate α congruit. Mucilagine capſulas repletas vidi; ſed colorem hujus vulgarem lividum pedetentim dilutiorem fieri & in albidum demum tranſire, tum vero in pultem illam albam coagulari, ex qua ſenſim tela araneoſa, centro dehiscens, oritur, in hac varietate obſervavi. E ligno carioſo Salicis ſparſim progerminat plantula inter rariſſimas referenda, Majo.

Figurae explicatio.

Tab. XI fig. 91.

a. Fungi quidam magnitudine naturali repræſentati.

b. Fungus per microſcopium viſus.

## 20. SPHAERIA *talus*.

S. compoſita, tuberculoſa, monoſticha, nivea; tuberculis truncatis, polymorphis; ſphærulis globoſis, atris.

OBS. *Monoſticha* mihi Sphæria eſt, cujus ſphærulæ aliæ aliis non incumbunt; ſed in unicam modo ſeriem digeſtæ inveniuntur.

α. cylin-

α. cylindrica.

De cortice variarum arborum, præſertim Alni, tubercula cylindrica, apice convexa, denſiſſime pullulare cernuntur, ſemine Braſſicæ paulo minora. Rumpitur cito apex, ſeu epidermidis protuberantis vertex, impulſu maſſæ cujusdam incluſæ, candidæ, fibroſæ, elaſticæ, quæ materia quadam, colore quidem eadem; ſed ſubſtantia diverſa, initio byſſina, tenella; poſthæc autem læviori, compactiori, ſuperſtrata & cum iſthac coalita videtur. Quæ ſi recte ſint inſpectata & judicata, ut equidem opinor, habemus hic dubio procul velum, ſphærulas initio demerſas obtegens; ſed ſucceſſu temporis hæ tam in altum tolluntur elaſtica maſſæ fibroſæ vi, ut mediæ demum e velo contabescente emineant. Interea tubercula, figuram ſuperne truncatam aſſumentia, ſphærulis globoſis, atris, vertice perforatis, in disco fungi & verſus ejus oram jam ſparſim apparentibus, ad ſimilitudinem talorum luſoriorum ſatis accedunt. Vidi ſæpenumero Majo.

## Figurae explicatio.

Tab. XI fig. 92.

a. Fruſtum corticis alnei, puſtulis, ſeu tuberculis, ſcabri, magnitudine nativa delineatum.

b. Particula hujus corticis, ex quo fungi quinque lente ampliati protuberant.

c. Sphæria admodum augmentata adolescens.

d. Eadem adulta, h. e. ſphærulis e ſubſtantia fungi jam emicantibus conſpicua.

e. Sphæria ad perpendiculum diſſecta.

β. ſulcata.

Minor priori, puſtulis cylindricis brevioribus. Sphærulæ ſulcatæ mihi ſunt viſæ. Sparſim ramulum quendam dejectum, aridum, ab illa obſeſſum vidi Martio.

## Figurae explicatio.

Tab. XI fig. 93.

Sphærula, ſub lente uti apparet.

γ. pileata.

In varietate hac, e cortice ramorum demortuorum Aceris Pſeudo-Platani gregatim progerminante, forma tuberculorum conum truncatum refert, cujus vertici velum

velum orbiculatum, prominens, demum depreſſum & margine paſſim inciſum, inſidet, pileum quaſi efformans, e quo ſphærulæ emergunt compreſſæ. Senescentia modo fungi exempla vidi Aprili. Magnitudine varietati β æqualis.

OBS. An Sphæria nivea *Hoffm. crypt. p. I. p. 28. t. 6. f. 3?*

## Figurae explicatio.

Tab. XI ſig. 80. – 94?

Fungi tres ampliati in ſitu naturali.

### δ. licheniformis.

Facie externa admodum variat. Tubercula quidem teretia, ſed altitudine varietatibus præcedentibus inferiora, adde, quod forma rotundata in fungo ſenescente fiat oblonga, margine tunc ſubangulato. Globuli, nitidi magis, quam in varietate α & β, ſunt exſerti & non ſolum ad oram, ſed in toto fungi disco ſparſi cernuntur. Materia quadam inſpiſſata & quaſi cerea conſtant, quæ qua plus aret, eo plus in centro dehiscere incipit. Maſſa quoque alba, cui ſunt infixi, arescit & tum rimulis hic & illic diſtincta, ſeu fiſſa, apparet. At vero figura haud raro conſpicitur ovalis, utrimque acuminata; epidermide quidem, quæ Sphæriam cingit, prominente, ſed maſſa ipſa illius vix ac ne vix quidem ultra corticem, cui incubat, emergente. Sphærulæ tum aut ad marginem contiguæ in formam roſarii, ſeu lineæ globulorum precatoriorum, diſpoſitæ conſpiciuntur; aut in angulo utroque disci conſtipatæ commorantur. Varietatem hanc polymorpham & forte ad Lichenes cruſtaceos amandandam obſervavi in ramulis aridis Coryli Avellanæ Martio.

## Figurae explicatio.

Tab. XI ſig. 95.

a. Fungorum agmen, e ramulo ſicco protuberantium, magnitudine naturali pictorum.

b-e. Fungus lente adauctus

b. adultus;

c. ſenescens;

d. ſphærulis contiguis, aream margine cingentibus.

e. ſphærulis confertis, angulum Sphæriæ utrumque occupantibus.

f-h. Sphærula admodum augmentata,

f. facie externa;

g. ad perpendiculum ſecta, cum in centro dehiſcit.

h. Sphærulæ ſubſtantiæ fungi immerſæ eodemque modo ſectæ.

ε. conferta.

Sphærulæ in hac integrum diſcum occupant, ut nullum igitur maſſæ candidæ, has excipientis, veſtigium appareat. Magnitudo earum eadem, ac in varietatibus præcedentibus; ſubſtantia ceræ ſimilis; ſed aliquantum durior; figura ſphærica, compreſſa. Inveni Martio in cortice ramuli arborei exſiccati ſparſim crescentem.

Figurae explicatio.

Tab. XI fig. 94.

a. Fungorum hexas magnitudine nativa pictorum.

b. Fungi duo lente ampliati.

c. Sphærula admodum aucta.

d. Eadem ad perpendiculum diſſecta.

## 21. SPHAERIA *placenta.*

S. compoſita, rotunda, complanata, tuberculoſa, monoſticha; ſphærulis globoſo-acuminatis, connatis, atris.

Figura fungi placentæ rotundæ, ſubconvexæ; magnitudo lineæ & quod excurrit; ſuperficies lævis; discus colliculoſus; color niger in arida; nigro-fulvescens in humectata Sphæria; ſubſtantia fibroſa; cortex inſeparabilis. Sphærulæ atræ, globoſæ, vertice tantillum producto, lateribus connatæ, unica ſerie crescentes, nitidæ. Sedes fungi in epidermide ramulorum exſiccatorum. Majo.

Figurae explicatio.

Tab. XII fig. 97.

a. Fungi ramulum demortuum incolentes, magnitudine naturali picti.

b. Fungus per lentem viſus.

c. Idem verticali directione diſſectus.

d. Sphærula adaucta.

e. Eadem, uti perſecta cernitur.

22. SPHAE-

## 22. SPHAERIA *natans.*

S. compoſita, ſubrotunda, convexo-plana, aggregata, atra, monoſticha; cortice ſuperne colliculoſo, ſubſtantiam viscidulam, indurescentem continente; ſphærulis aggregatis, albis.

E cortice ramorum demortuorum Sambuci nigræ denſe erumpunt tubercula rotunda & Interdum ovalia, atra, convexa initio, demum plana, epidermidis ruptæ laciniis circumcincta, disco ſemilineari, colliculis denſis exaſperato. Diſſecta folliculum ſiſtunt membranaceum atrum, liquore ſubviscido livido, h. e. mucilagine ſeminifera, huic generi peculiari, repletum: quapropter primo obtutu pro Sphæria ſimplici haberi facile poteſt. At nantes conſpiciuntur immediate ſub disco fungilli adolescentis ſphærulæ monoſtichæ, albidæ, globoſæ, vertice producto acuminatæ, ſolidæ, ſed ſenſim cavescentes, quarum papillæ, veſiculæ plagam ſuperincumbentem trudentes, huicque forte inſertæ, colliculis jam jam dictis ortum dant. Liquor ipſe viscidus, initio aqueus, in maſſam ceream coloris e cinereo albentis coagulat, haud raro interne dehiscentem. Aperturam in colliculis, forte ob nimiam ejus parvitatem, non vidi; adeſſe enim, nullus dubito. Fructificationis modum hujus Sphæriæ omnino ignoro; ſingularem vero eſſe, ipſa fungi ſtructura monet. Senescens nitet, menſibus Martio ac Aprili frequentiſſimus.

### Figurae explicatio.

Tab. XII ſig. 98.

a. Fungorum agmen ad naturam pictum.
b. Fungus admodum ampliatus.
c. Idem per verticem recta ſectus.
d. Sphærula adaucta.
e. Eadem ad amuſſim ſecta.

## 23. SPHAERIA *aeruginoſa.*

S. compoſita, oblonga, convexa, ſparſa, aquæ marinæ colore, monoſticha; ſubſtantia & ſphærulis atris.

Non confundenda cum Sphæria flavovirescente *Hoffm. crypt.* I. *p.* 10. *t.* 2. *f.* 4, ad quam ſane accedit quoad figuram oblongam, placentæ ſimilem, quam

interdum acuminatam utrimque & a linea una ad tres usque extenſam inveni, latitudine plus minus lineari. Convexam nonnunquam, ſed & planam vidi. Superficies tomentoſa, ſqualide viridis inſtar aquæ marinæ. Eminent ex illa, unam modo ſeriem conſtituentes, ſphærulæ atræ, nitidæ, compreſſo-acuminatæ, perforatæ & ſubſtantiæ concolori, compactæ, ad papillam usque immerſæ, quas inanes inveni. Innotuit mihi ſparſim in ramulo putrescente, delibrato, querno, crescens. Julio.

### Figurae explicatio.

Tab. XII fig. 99.

a. Fungi nonnulli, magnitudine ac ſede naturali delineati.
b. Fungus ſub lente viſus.
c. Idem medio diſſectus.
d. Sphærula mole perquam aucta.
e. Eadem e vertice ſecta.

## 24. SPHAERIA *caſtorea.*

S. compoſita, ſubgloboſa, aggregato-ſparſa, aequalis, nigra, monoſticha; volva fusca, fugaci; ſphærulis atris.

Prodit e ligno putrescente, ſparſim gregatimque, figura mali aurantii, interdum ovali, diametro lineari, ad duas lineas nonnunquam extenſo. Integumento obducta cernitur, tomento nimirum anguſto, byſſino, tenerrimo, coloris fusci dilutioris, ſeu caſtorei, quod cum evanuit, cortex niger, aequalis, in conſpectum venit, a ſubſtantia fungi reſinoſa, friabili, inſeparabilis; quin, ut videtur, ab ea, colore excepto, re vera non diverſus. Maſſa hæc, ſeu corpus Sphæriæ, ſi verticaliter ſecatur, lobos planos, arcte obvolutos, inferne vero connatos, h. e. vaſa conſtrictoria, ſeu emulgentia, e quibus ad modum aliarum Sphæriarum conflata eſt, ſic ſatis manifeſtat, ut is certe, cui vaſa hæcce, conſtrictione ſpontanea ſphærulas, mucilagine plenas, evacuantia, jam aliunde innotuerunt, hic ea haud difficulter recognoscat. Sphærulæ ovales, acuminatæ, oſtiolo ſuo ſuperficiem fungi, ſeu, ſi mavis, corticem ejus, perforant. Inanes vidi, ſacculo candido, vulgato, interne inductas. Communicavit perbenevole mecum exempla recens lecta clariſſ. *Timm.* Junio.

OBS. Involucrumne illud tenerrimum, fugax, in ſpecie hac, ut in aliis, v. c. Sph. confluente & Sph. radiante, illico deſcribenda, ipſum pollen; an ejus fortaſſis receptaculum eſt?

eſt? Satagant cæterum de hac vexabili Sphæriarum volva fugaci Viri in ejusmodi rebus ſcrutandis & judicandis me acriores.

### Figurae explicatio.

Tab. XII fig. 100.

a. Sphæriæ aetate impares, magnitudine nativa pictæ.
b. Sphæria mole aucta, ut volva induta cernitur.
c. Eadem ſectione verticali diviſa.
d. Sphærula adaucta, ſimili modo diſſecta.
e. Eadem integra.

## 25. SPHAERIA *radians*.

S. fragiformis, b radians

S. compoſita, ſubgloboſa, aggregato-ſparſa, ſubtuberculoſa, atra, ſubmonoſticha; volva pulverulenta, fulva; ſphærulis albis.

E ligno querneo, putrescente, ſparſim gregatimque protuberant forma vel rotunda, vel ovali, globi ſatis compreſſi, ſive pulvinati, magnitudine Sphæriæ praecedentis. Incruſtati ſunt pulviſculo coloris e luteo, rubro fuscoque mixti, h. e. fulvo-teſtacei. Sed integumentum illud pulverulentum, digitis attrectatum, facile defricatur, & tum comparet cortex fungi ipſe inſeparabilis, ater, nitidus, initio aequalis, tandem vero modice tuberculoſus. Quod ſi Sphæriam hanc, cultello per ejus verticem ducto, ſecueris, ſubjacentes videbis cortici ſphærulas albas, globoſas, papilla procera, in modum pyri inverſi, umbonatas & in unum tabulatum diſpoſitas, quibus tamen interdum ſuccubant hic vel illic aliæ ſphærulæ ejusdem coloris, globoſæ, papilla carentes. Maſſula griſea, apparenter viscoſa, utrumque earum genus repletum obſervavi. Nidulantur in ſtrato quodum albido, compacto quidem, ſed nec fibroſo, neque reſinoſo, ſubſtantiam Sphæriæ circumdante & cum hac connata. Pulveri carbonum illa ipſa quidem externa facie ſimilis eſt; ceream vero, ſi perſcinditur, ſe monſtrat, ſuperficie ſegmentorum nitente; id, quod náturam ejus reſinoſam, ſeu gummoſam, arguit. Sed ſolemne huic Sphæriæ eſt, ut centro, ſeu nucleo, gaudeat albo, capitulo clavæ militaris, muricatæ, ſimili, & hanc ob cauſam radiante quaſi. Progerminat radians hocce viscus immediate e ligno, cui Sphæria ope tuberculi cujusdam affigitur; porriguntur vero ejus radii quaquaverſus in maſſam carbonariam & in ſtratum albidum jam deſcriptum, ſphærularum ſcilicet

 habita-

habitaculum; quin probabiliter ad ipſasmet pertingunt; ductus enim, ſucco nutritio provehendo deſtinati, eſſe videntur, qui & in aliis Sphæriis haud raro obſervantur. Et hunc fungum munificentiæ *Timmii* mei acceptum refero.

OBS. 1. Stratum in Sphæriis compoſitis ſphærulas fovens celeberrimo *Hoffmanno* (l. c Præf.) pollinis congeries videtur. Quod ſi non ſine cauſa dicit Vir doctiſſimus, id, quod volvam nuncupo, in hac ſaltem ſpecie cum polline nil commune habere poteſt.

2. Accedit quidem Sphæria noſtra ad Sph. Lycoperdoidem *α Weig.* ſed in hac ſphærulæ ſunt nigræ, & integumentum externum omnes veri corticis notas habet.

Figurae explicatio.
Tab. XII fig. 101.

a. Fungi nonnulli magnitudine nativa depicti.
b. Fungus lente auctus, integumento pulverulento inſtratus, cujus per plagam defrictam cortex ater conſpicitur.
c. Idem ad perpendiculum una cum nodulo muricato centrali ſectus.
d. Sphærula admodum ampliata.
e. Eadem e vertice, una cum ſtrati, cui immerſa eſt, particula, perpendiculariter diſſecta.

## 26. SPHAERIA *lenta.*

S. compoſita, lentiformis, aggregata, lenta, pulla, monoſticha; ſphærulis globoſis.

Diameter ejus duarum, vel trium linearum. Lentis figuram habet, disco gibbo, margine compreſſo, ſubrepando & exſiccatione undulato. Discus pullus, ad luridum vergens, lævis; in fungo vieto rugoſulus, centro depreſſo. Subſtantia candida, lenta, fibroſa, valida; cortex inſeparabilis ab illa mihi eſt viſus. Prope hunc ſphærularum unica ſeries cernitur. Globoſas vidi & coloris albidi; ſed potius ſphærularum primordia fuiſſe autumo, cum Sphæria hæc, ut omnia teſtantur, ad Hypoxylorum familiam pertineat. Creſcit fungus gregatim confertimque, duobus, tribus quatuorve haud raro connatis. Conſpiciendum ſe mihi præbuit in trunco exciſæ Fagi putrescente & ſimul in radicibus ejus, terra leviter tectis. Septembri.

Figurae explicatio.
Tab. XII fig. 102.

a. Funguli duo magnitudine naturali delineati.

b Sphæria,

b. Sphæria, uti prima aetate comparet.

c. Alia jam adulta.

d. Sphæriæ tres ejusdem aetatis, connatæ.

e. Sphæria lente aucta, ut ad perpendiculum diſſecta cernitur.

## 27. SPHAERIA *Ribis.*

S. compoſita, convexo-oblonga, aggregata, purpurascens, monoſticha; ſphærulis ovalibus, papillatis, prominulis.

E cortice ramorum demortuorum Ribis rubræ protuberat, rupta eorum epidermide, qua circumſepta poſtea conſpicitur. Agmine non interrupto puſtulæ hæ transverſales, oblongæ, lineam vix longitudine exæquantes, virgulas aridas cingunt. Fungus ipſe oblongus, modice convexus, cortice lævi, inſeparabili, purpureo-badio; ſubſtantia ſiccæ plantulæ lanuginoſa, levidenſi, e cinereo albescente. Ex hac prominent una eademque ſerie, ad medium ferme, ſphærulæ cortici concolores, læves, ſed absque nitore, ovales, papillatæ, quas maſſa quadam albida, cerato ſimili, repletas inveni. Subſtantiæ fungi non firmiter infixæ ſunt, quare facillime ab hac ſeparantur; ſed evulſis ex ea portiuncula lanuginis memoratæ plerumque adhæret. Non niſi exempla aetate provecta vidi. Majo.

OBS. Admodum ſpeciei inſequenti ſimilis eſt; a qua tamen ſphærularum figura ovali potiſſimum differt.

### Figurae explicatio.

Tab. XII fig. 103.

a. Sphæriarum agmen, naturali magnitudine pictarum.

b. Sphæria per lentem viſa.

c. Eadem ad amuſſim ſecta.

d. Sphærula admodum ampliata.

e. Eadem e vertice diſſecta.

f. Sphærula evulſa, cui inferne ſubſtantiæ lanuginoſæ panicula adhæret.

## 28. SPHAERIA *decidua.*

S. compoſita, oblongo-convexa, aggregata, monoſticha; ſubſtantia flava; ſphærulis globoſo-papillatis, rubris, prominentibus, deciduis.

Ad

Ad modum proxime præcedentis ex epidermide ramorum demortuorum eademque ſpecie externa erumpit; at vero magnitudine hanc ſæpius antecedit. Subſtantia a cute lævi inſeparabilis eſt, ſeu, ut rectius dicam, cutis veri nominis omnino abeſt, uti in Sphæria jam nominata. Solidam ſe prodit & cerei quidpiam habentem, coloris in ſuperficie ſtraminei, interne vero aurantii, in aureum expalleſcentis. Sphærulas vix ad medium usque immerſas excipit, conſertas, globoſas, obſolete punctatas, miniatas, papilla coccinea, decidua, umbonatas, quæ cum conſenuerint, colorem nativum cum miniato-flavescente, ſeu Arſenici rubri, languidi, commutant, in papilla ſemper vividiori, & ex alveolis ſuis ſæpius excidunt. Inanes vidi menſe Martio in ramulo arido, alneo.

OBS. Eodem menſe conſpexi varietatem, ut videtur, hujus Sphæriæ, ſed tum temporis obſoletam. Aequali modo epidermidem ramorum emortuorum in tubercula extendit & tum rumpit. Figura rotunda & oblonga, convexa, diametro a linea una ad tres extenſa. Subſtantia ſolida, ſubſucculenta, coloris amœne ferruginei. Sphærulæ atropurpureæ, ovales, collabescendo vertice quaſi truncatæ & tum nigrescentes, papilla atrum colorem induente. Baſi ſua ſolummodo inhærebant ſubſtantiæ Sphæriæ. In ramulo dejecto Cratægi Oxyacanthæ.

### Figurae explicatio.

Tab. XIII fig. 104.

a. Fungi nonnulli ramulum inhabitantes, magnitudine & ſitu naturali depicti.
b. Fungus lente auctus.
c. Idem perpendiculari directione diſſectus.
d. Sphærula ampliata.

## 29. SPHAERIA *atro-purpurea*.

S. compoſita, rotundato-plana, ſparſa, atro-purpurea, monoſticha; ſphærulis ovalibus, papillatis, connatis, nigris.

Inter compoſitas Sphærias planiſſimis eſt aſſocianda. Epidermidi ramorum demortuorum innascitur & orbiculari & elliptico anfractu, diametro unciali, interdum biunciali. Cortex inſeparabilis, lævis, apiculis ſphærularum, ubique denſe prominentibus, ſcaber, coloris pulli, ſeu ſaturate ſpadiceo-nigrescentis. Subſtantia ſubpulverulenta, in fungo juniori fulvus, in ſenescente vero ad colorem accedit, qui a famoſiſſima Pompaduria nomen traxit, ſed minus lætum, h. e. ſpadicei quid admixtum

admixtum habentem. Sphærulæ minimæ ovales, connatæ, nigræ ſunt, ſed ad verticem, ut papilla, atræ. Interne inanes inveni. Obſervavi ſpeciem hanc admodum raram in ramis exſiccatis Cratægi Oxyacanthæ Majo & in fragmento ligni putrescentis Octobri.

OBS. Forte mera varietas ſubſequentis ſpeciei eſt cenſenda; certe in hac noſtra nondum omnia notatu digna detecta mihi videntur.

### Figurae explicatio.

Tab. XIII fig. 105.

a. Sphæria magnitudine nativa depicta.

b. Eadem diſſecta ad amuſſim.

c. Segmentum ejus admodum ampliatum.

d. Sphærula mole valde aucta.

## 30. SPHAERIA *macula.*

nummularia

S. compoſita, polymorpha, planiſſima, atra, monoſticha; ſphærularum globoſo-papillatarum ſingulis, velo fugaci tectis.

In ramulis querneis defractis aridisque poſt pluvias largiores maculæ atræ, ſatis magnæ, h. e. nonnullarum interdum unciarum menſura, figura variæ, plerumque vero rotundatæ, e fiſſa ac revoluta epidermide emicare mox incipiunt, quæ, ſi per lentem conſpiciuntur, Sphæriam ob oculos ponunt de cortice protuberantem, planam, atram, ſuperficie tomentoſa, ſeu panno holoſerico admodum ſimili. Tomento huic immerſi ſunt glomeruli bombacini, nivei, perquam minuti, aggregati, quorum quisque, expulſus per papillam perforatam ſphærularum minimarum, atri coloris, ſtatim in apice oſtioli, ex quo erumpebat, ſubſidet & brevi poſt, contabescendo complanatus, velum orbiculare ſiſtit, a papilla ſenſim perforandum, tum autem evanescens. Perbrevi temporis intervallo hæc omnia accidunt; interim vero ſphæria ipſa magis complanatur, ſeu potius coarctatur; tomentum enim illud holoſericum in cortice diſparet & e ſuperficie jam glaberrima prominent papillæ ſphærularum lævium, figura ſphærica ſubcompreſſa comparentium, quas gelatina vulgari ſeminifera plenas, ſubſtantiæque ſolidæ, candidæ, immerſas inveni.

OBS. Sphæriam ſtigma *Hoffm.* I. *p. 7. t. 2. f. 2.* admodum cum noſtra congruere, nemo non videt; ſed anguſtior longe eſt hæc, ac compreſſior, quam illa & nunquam rimis fiſſurisque ſciſſa, nec tam late ſerpens, ut ramorum plagas maximas incruſtet. Accedit eo, quod Sphæria macula non ſolum cortices virgultorum ſupercrescat, ſed in nudo quoque ligno putrescente ſedem ſibi figat, Sphæriæ ſtigmati plane inconſuetam. Hisce rationibus commotus, aliam ab alia ſeparandam eſſe credidi. Cæterum & Hoffmannianam neu integumento fugaci holoſerico, neve velo itidem fugaci ſphærularum carere, cognitum & compertum habeo.

2. Glomeruli illi bombacini delicatulique, oſtiolis ſphærularum paulisper incumbentes, tum complanati & paulo poſt evanescentes, velum mihi videntur, pollen fovens. Expelluntur enim manifeſto jam tum e ſphærulis, cum hæ mucilagine, ſemina continente, adhuc ſunt repletæ: quare pro hac ipſa haberi nequit. Sed unde demum venit? Nil aliud, meo quidem judicio, eſt, quam tela toties dicta araneoſa, e mucilagine ſpermatica, in capſulis contenta, ortum trahens. Ejicitur quidem e quibusdam Sphæriis tempore fructescentiæ globulus candidus, ſeu, quod idem eſt, mucilago protruſa in maſſam globoſam hujus coloris irrigescit; at vero ejusmodi globulus nunquam contabescit; ſed figuram ſuam usque dum decidit, conſervat, tum vero in pulvisculum fatiscit. Conf. infra Sphæriam 39 ſqq.

## Figurae explicatio.

### Tab. XIII fig. 106.

a. Sphæria magnitudine nativa delineata.

b. Eadem, (mole tantillum aucta) ut verticaliter ſecta comparet.

c. Segmen ampliatum Sphæriæ adolescentis, glomerulis bombacinis, ſeu velis particularibus, globoſis, vixdum expulſis.

d. Segmentum æque ampliatum adultioris Sphæriæ, velis jam complanatis & a ſphærularum mucrone transfoſſis.

e. Sphærula admodum aucta, cujus papilla ſub velo globoſo ſuperincubante latet. (Tomentum Sphæriam obducens in figura non eſt expreſſum, ut nempe velum integrum in ſitu ſuo eo melius conſpici queat.)

f. Sphærula adaucta, uti una cum velo contabescente ad perpendicum diſſecta ſe cernendam præbet.

# 31. SPHAERIA *cancellata.*

S. ſubcompoſita, rotundo-ovalis, convexa, aggregato-ſparſa, atra, monoſticha; velo prominente; ſphærulis connatis.

E ramis

E ramis ſalignis, dum areſcunt, egerminant tubercula, ſeu ſparſa, ſeu aggregata, ſeminis papaverei magnitudine, quæ epidermidem corticis arborei, quin potius lamellam illius extimam, qua teguntur, ubi ubi in formam puſtulæ rotundæ, vel oblongæ, ita elevant extenduntque, ut ejus fibræ contextæ reticuli in modum extricentur ac feneſtrentur: unde cancellatæ nomine mihi venit. Simplex aeque, ac compoſita invenitur: h. e. ſphærula nigra, lævis, phialæformis, vel ſolitaria, vel gemina trigeminave, ad apicem usque immerſa eſt ſubſtantiæ fungi parabolici, ſuperne truncati, baſi convexi, urnæ proinde ſepulcrali, vel ollæ, externa ſpecie ſimilis; cortice inſeparabili, lævi, aequali, nigro; medulla e cinereo ablescente & apparenter ſtuppea. Obtecta cernitur Sphæria velo orbiculari, candido, demum albente, fibrillis byſſinis condenſatis contexto, et ultra oram urnulæ prominente. Videtur velum hoc, una cum papillæ apice epidermidem cancellatam ſupereminens, cum ſubſtantia fungi ipſa eſſe connatum; ſed probabile mihi fit, in hac Sphæria, ut in compluribus noſtrae conſimilibus, v. c in proxime praecedente, epidermidem a papilla capſularum perforari, tum ſcilicet, cum per ejus porum exploditur glomerulus ille bombacinus, ſeu tela araneoſa, mucilaginis ſeminiferae progenies, hancque in eruptione aliquantiſper praecedens, qui papillae eidem, qua exprimebatur, tum de more incubans, ſenſim, uti monuimus, complanatur contabescens & ab illa transfigitur. Perforatas autem eſſe papillas haud dubito, licet ob parvitatem eximiam porum ipſum diſtincte non viderim. Medulla capſulas fovens, forte quod nimium relaxa eſt, in Sphaeria humida dilucide quidem conſpicitur, aſt in ſicca non item. Sphaerulas gelatina pervulgata impletas inveni, & ubi plures earum ſimul in uno eodemque fungo aderant, ſemper connatas. Sedes hujus non in ipſo ramorum cortice, ſed intra lamellam, ſeu membranam, pellucidam mediam ac infimam epidermidis. Offendi Sphaeriam hanc concinnam raramque Majo menſe.

## Figurae explicatio.

### Tab. XIII fig. 107.

a. Sphæriæ, fragmini corticis ſaligni inſidentes, magnitudine naturali pictae.

b-f. Fungus quam maxime auctus.

b. Sphæria, epidermide reticulata rami ſaligni tecta, papilla ſphærulæ veloque emicantibus.

c. Sphæria ſimplex, verticaliter ſecta, quo figura ejus urnalis, ſeu

 ollaris

ollaris, ac ſtructura interna, ſicuti veli complanati perforatique ſitus, oculis commodius ſubjiciatur.

d. Sphæria compoſita, eundem in modum diſſecta.

e. Sphæria ſimplex, velo inſtructa, ut epidermidi exſculpta cernitur.

f. Eadem, diſſecta quidem ſubſtantia una cum velo; ſed ſphærula incolumi.

g. Sphærula nuda, mole perquam aucta.

## 32. SPHAERIA *inſitiva*.

S. compoſita, corticalis, plana, lineari-acuminata, candida, monoſticha; velo cum ſubſtantia fungi connato; ſphærulis papillatis, atris.

Rimas epidermidis Vitis demortuæ omnes omnino ita infarcit, ut quaſi inſititia videatur. Cum vero cuticula hac conſepta ſemper inveniatur, eodem jure, ac Sphæriam ſtigma, tuberculoſam, cæt. *Hoffm.* pro compoſita habetur; licet ambitus ejus, Lichenum cruſtaceorum in morem, quam maxime fluctuet. Sphærulæ minimæ, compreſſo-globoſæ, læves, nitidæ, atræ, aggregatæ, papilla ſubelongata, perforata, eminent e velo candido, texturæ byſſinæ, plano, ſuperne lævi, inferne cum ſubſtantia ipſa fungi albida, furfuracea, tenera, connato. Corruens haec demum, ſeu contabescens, lateribus earum laxe adhaeret, velo tandem evanescente. Obtectas quaſi vidi hac Sphæria vites compluviatas ſideratasque, ad murum auſtralem aedis ſacræ, quæ *Perlini* eſt, plantatas, Sphærulas interdum tela, generi huic promiscua, araneoſa oppletas, ſæpiſſime autem inanes reperi. Julio.

OBS. Non confundi debet cum Sphæria byſſacea *Weig. obſ. p. 45. t. 2. f. 9.* & *Dickſ. crypt. p. 22*; hujus enim ſphærulæ papilla carent & collapſæ, ut obſervavi, concavescunt: h. e. Pezizæ faciem induunt. Adde, quod ex epidermide arborum Sphæria illa nunquam extuberat, ſed nuda his inſidet ut cruſta furfuracea, neutiquam circumſepta.

### Figurae explicatio.

Tab. XIII fig. 108.

a. Sphæriæ nonnullæ magnitudine nativa pictæ.

b. Sphæriæ quædam lente auctæ.

c. Sphæria exoleta, ut corruente jam ſubſtantia, ſphærulas circumdante, ſub lente apparet.

d. Segmen-

d. Segmentum Sphæriæ adauctum, in quo ſphærulæ duæ verticaliter ſectæ, velo adhuc ſubſtantiæ furfuraceæ incumbente, conſpiciuntur.

e. Sphærula admodum ampliata, adhærente illi ſubſtantiæ contabescentis particula.

## 33. SPHAERIA *ſuccenturiata*.

S. compoſita, oblongo-pulvinata, ſparſa, bicorticata, atra; ſphærulis ſuccenturiatis ſimplicibusque.

Ligniſeda, oblonga, pulvinata, lineas 2 vel 3 longa. Cortex exterior lævis, aequalis, ater, reſinoſus; interior fuscus, uterque anguſtus & inſeparabilis. Subſtantia fungi griſea, fuscescens, ſolida. Præſciſſa nitet, indicio aperto, eam e maſſa gummoſa, ſeu gelatina, eſſe concretam. Sphærulas atras duplicis figuræ ac molis continet, alias nempe immerſas ad corticemque interiorem applicatas, pyriformes, quarum orificium attenuatum intra fungi corticem interiorem exterioremque dilatatur in capſulam homogeneam, globoſam, ſed admodum compreſſam, vertice demum pertuſo. Sphærulæ hæ, pro fertilibus merito habentur: capſula ſcilicet ſuccenturiata figuræ compreſſæ, jam jam deſcripta, globulum illum candidum, tenerrimum, in quo velum agnosco, ad tempus ſaltem, manifeſto includente. Adſunt vero & aliæ ſphærulæ, altius defoſſæ, figuræ ovalis, capſula hac adventitia orbæ, quas ſteriles proinde judico. Sphæria caeterum, ut complures ſimilis ſtructuræ, innititur tuberculo cuidam e ligno prominenti, ceu radici, ſuccum nutricium ſphærulis ſuppeditanti. Colorem album, nativum, nunquam illud in noſtra Sphæria deponit. Sphærularum fertilium capitula qui detegere cupit, caute & verſatili manu corticem fungi atrum ſenſim progrediendo abradat, neceſſe eſt. E rarioribus ſui generis; reperi vero ſparſim crescentem in ramis deciduis quercinis, quorum cortex putredine graſſante jam erat abſumtus, plus una vice Majo menſe.

OBS. Sphærulæ ſuccenturiatæ, mira ſane apparentia! in hac non ſolum ſpecie; ſed etiam in Sphæria coronata *Hoffm. crypt. I. p. 24. t. 5. f. 4. 5*, clariſſime cernuntur. At enim obſervantur quoque in Sph. bullata *Ejusd. (l. c. p. 5. t. 2. f. 1.)* cujus e ſuperficie Vir doctiſſimus ſe albidum quid effloreſcere vidiſſe (en velum noſtrum glomeratum!) teſtatur. Sphærulis nempe illa ſæpius inſtructa obvenit bifariis: fœcundis ſcilicet, ac ſterilibus, ſicuti noſtra. Priores tunc collo tubulari, longiusculo, ut celeberr. Auctor papillas Sph. disciformis *(t. 4. f. 1.)* depinxit, ſunt præditæ, quod

 apice

apice in aliam quaſi ſphærulam dilatatur, ſubgloboſam, vertice perforato; ſed poſtmodum, h. e. poſt globuli albi, byſſini, intus ex ſphærula genuina recepti, exploſionem, collabescentem, & jam depreſſa & ſubangulata forma comparentem. Sphærulis hisce fœtiferis ſubjacent aliæ, globoſæ, confertæ, colli, ſeu papillæ omnino expertes, id quod in Sph. disciformi, *Hoffm.* a bullata *Ejusd.* parum discrepante, quoque obſervatur. Pertranſit vero globulus ille vexabilis, bombacinus, cavitatem utramque geminatæ ſphærulæ eodem modo; ſicuti minoris capſulæ quoque parietes interdum, in tapetium Batſchianum permutatus, inveſtit.

## Figurae explicatio.

Tab. XIV fig. 109.

a. Sphæriæ duæ, magnitudine naturali depictæ.

b. Sphæria adaucta, ad perpendiculum diſſecta, demto dextrorſum cortice exteriori nigro, ut ſphaerularum fœcundarum capſulæ ſuccenturiatæ, e cortice interiori emergentes, commode conſpici queant.

c. Sphaerula fœcunda, admodum ampliata ſicque repraeſentata, ut ſegmini Sphaeriae dimidia inhaereat. In hoc vero inferne ſubſtantiae; ſuperne, corticis interioris fungi pars cernitur, cute nigra exteriori reſecta.

d. Segmentum aliud Sphaeriae, mole valde aucta, quo exhibetur ſphaerula fœcunda, ad amuſſim diſſecta, ita ut capſula ſuccenturiata, (globulum bombacinum, e ſphaerula ipſa eructatum, jam fovens) uti cortici hæc utrique fungi eſt immiſſa.

# 34. SPHAERIA *cucurbitula.*

S. compoſita, convexo-plana, aggregata, monoſticha; ſphaerulis ovalibus, contabescendo concavescentibus, inſitis, rubris.

*α.* flavescens.

Ad corticales pertinet, & in variarum arborum ramis ramulisque demortuis tempore vernali abunde, & denſo interdum agmine, provenit, fiſſa eorum epidermide, tubercula efformans linearis, vel ſesquilinearis, menſurae, tum rotundata, tum praecipue oblonga, convexo-plana, ſeu placentiformia; cuticulae ruptae laciniis haec circumſiſtentibus. Subſtantia Sphaeriae ipſa cerea, ſtraminei coloris, nullum genuini corticis indicium offert; obſervavi autem in diſſecta ductus quosdam

dam, coloris dilutioris, a baſi ad ſphaerulas pertingentes, h. e. ſuccum alimentarium eo vehentes. Minimae hae ſunt, ac ovales, rubrae, laeves, pulviſculo albido conſperſae, ac baſi ſolum ſubſtantiae Sphaeriae, ſeu receptaculo communi, confertim infixae. Areſcentes vertice primum depreſſae & quaſi truncatae fiunt; poſtremo in formam concavam patellae contabeſcunt, colore jam earum ad ſordide aurantium translabente. Capſulas neque duras, neque friabiles, ſed lentas, repletas eadem maſſa cerea, pallida Sphaeriae ipſius, inveni; ſed oſtiolum in eis nunquam vidi.

OBS. Similitudo, inter varietatem hanc & Sphæriam deciduam (p. 31) intercedens, manifeſta eſt.

### Figurae explicatio.

Tab. XIV fig. 110.

a. Sphaeriæ aliquot, ramulo innatae, magnitudine nativa repraeſentatae.
b. Sphaeria adoleſcens, ſub lente ut conſpicitur.
c. Sphaeria adaucta, ut extrema aetate, h. e. ſphaerulis concaveſcentibus, cernitur.
d. Sphaeria ad perpendiculum interſecata, uti ſub lente apparet.
e. Sphaerula junior ac incolumis, mole adaucta.
f. Eadem ut tabefacta & verticaliter diſſecta in conſpectum venit.

β. nigreſcens. S. cupularis

In omnibus varietate α conſona; ſed obſoletæ ſuperficies ubique, in receptaculo, puta, nec non in capſulis, pulviſculo rariori obductis, &, hoc abſterſo, nitidis, nigreſcit. Maſſa luteſcens areſcendo interdum in centro dehiſcit & ad baſin fit cavernoſa. Repletura quoque ſphærularum dehiſcit & in ſacculum Weigelianum, rudiori modo diſpanſum, abit. In ramis deciduis Pinus ſilveſtris, vere.

## 35. SPHAERIA *convergens.*

S. compoſita, roſacea, aggregata; ſphærulis atris, excipuliformibus, liberis, convergentibus.

Sedes hujus inter epidermidem corticemque aridum Fagi. Nulli ſubſtantiæ, ſeu maſſæ foventi, immerſas inveni ſphærulas atras, minimas, globoſas, oſtiolo tubulari, procero, inſtructas; ſed baſi ſolum imprimit quæque lamellæ ſubjacenti alveolum, cui immoratur. Quinæ, vel ſenæ, plerumque ſphærulæ unam centralem

lem in formam circularem, ſeu roſaceam, circumplectuntur ſicque Sphæriam conſtituunt: id, quod hoc pacto efficitur, ut collis ſuis, ſive papillis tubularibus, erectis et in commune quaſi centrum conniventibus, ac coadunatis, epidermis corticis perforetur, prominentibus tunc ab hac apertura tubulorum convergentium apicibus. Sphærulas, ex exſiccatione inanes, aqua vero denuo ſuperfuſas, mucilagine ſpermatophora griſea ſine mora repleri vidi. Largis denſisque agminibus protuberantem conſpexi Auguſto menſe.

### Figurae explicatio.

Tab. XIV fig. 111.

a. Fungi aggregati, magnitudine naturali picti.

b. Sphærularum adauctarum convergentium oscula, e rupta epidermide arborea exſtantia.

c. Sphæria itidem valde aucta, uti ad amuſſim diſſecta cernitur.

d. Sphærularum ampliatarum compages, cuticula puſtulæ, has deſuper circumdante, reſecta.

e. Veſtigia augmentata alveolorum, a ſphærulis lamellæ ſubjacenti impreſſorum, ut convexi & quaſi uſtulati in hujus ſuperficie averſa apparent.

## 36. SPHAERIA *ſanguinaria.*

S. compoſita, cruſtacea, rotundato-polymorpha, glauca, limitata, monoſticha; ſphærulis globoſis, obſolete papillatis, atris.

Lichen ſanguinarius *Linn. ſyſt.* 4. *p.* 525. *Hoffm. lich.* 29. *t.* 5. *f.* 3.

Lichen limitatus *Scop. carn.* 2. *II. n.* 1370.

Sphæria nitida *Weig. obſ. p.* 45. *t.* 2. *f.* 14. *Web. ſpicil p.* 281. *Wigg. holſ. n.* 932. *Dickſ. crypt. p.* 22. *Relh. cantab. n.* 1055. *Timm. megap n.* 1169. *coll. n.* 892.

Verrucaria ſanguinea *Willd. berol. n.* 1056.

Cruſta lævigata, plano-convexa, coloris glauci, ſeu e griſeo & viridi mixti, dilute demum fuscescentis, quæ ſæpiſſime rotundata eſt, ſed figura, ut magnitudine, admodum variat et linea atra repanda circumfunditur, epidermidi Fagi aliorumque arborum ſparſim innascitur. Subſtantia, cortice duriusculo & ferme car-

tilagineo,

tilagineo, tecta, e maſſa conflata videtur ceræ, terebinthino permixtæ, ſimili. Ex hac maltha emergunt, cute jam deſcripta prius in puſtulas minutas, convexas, aggregatas & ſæpius contiguas, elevata tumque rupta, ſphærulæ globoſæ, ſemilinearis in maximis diametri, atræ, læves, oſtiolo annulari prominulo, margine tandem ſubdeflexo. Repletæ ſunt mucilagine coloris ſanguinei, quam ad parietes in ſacculum Weigelianum ejusdem coloris ſæpe condenſatam, hunc vero tapetio inſuper candido Batſchii interdum obductum obſervavi. Fructificationem ipſam non vidi; at ſubſtantiæ viscoſæ, ſphærulas circumdantis oram, orificio earum contiguam, atro ſemper colore conſpurcatam conſpexi, quod de mucilagine, dum expellitur, atrescente, teſtimonium luce clarius perhibet. Subſtantia, vel natura, hæc tandem valde contabescit & maxima ex parte diſparet.

OBS. Sphæria mammiformis *Hoffm. crypt. I. p. 13. t. 3. f. 2.* cum noſtra in omnibus fere adeo congruit, ut pro ejus varietate jure optimo haberi videatur.

### Figurae explicatio.

Tab. XIV fig. 112.

a. Sphæria magnitudine nativa delineata.

b-d. Sphærulæ adauctæ.

b. Sphærula ad perpendiculum diſſecta, quo ſacculus Weigelianus & ora ſubſtantiæ fungi, ad oriſicium capſulæ per mucilaginis ejaculationem inquinata, ſit contemplabilis.

c. Sphærula a ſede ſua ſemota.

d. Alia jam grandævis verticaliter diſſecta, in qua ſacculus Weigelianus (integumentum internum rubrum) una cum tapetio Batſchii (integumento candido) ob oculos ponitur.

## 37. SPHAERIA *ceſpitoſa.*

S. compoſita, hydnoides lamellata, globoſo-ceſpitoſa, aggregata, atra; lamellis radiatis, inferne connatis, apice ſphæruliferis.

OBS. Admodum cum hac concordat Sphæria brandeburgica *Villarſii delph. p. 1057. n. 7.* ſed lamellarum apices digitati non ſunt in planta gallica.

Species hæc abnormis epidermidem ramorum demortuorum Sorbi aucupariæ gregatim perrumpit tuberculis rotundis, ac ellipticis, viciae ut plurimum magnitu-



dine

dine, atris. Quæ ſi lente diſpiciuntur vitrea, Sphæriæ admirabilem fabricam oculis exhibent, lotis, ſeu lamellis planis, obvoluto-radiatis, præduris & quaſi reſinoſis, inferne connatis, apice vero ſubdilatatis & digitatis, conſtantem. Omnia ſubſtantiam e mucilagine obduratam annunciant, cujus color nativus luridus jam in ſuperficie atratus apparet. Sphærulas quas voco, proceſſus dactyloidei ejusdem ſubſtantiæ ſunt: quare pro Tremellæ ſpecie fungillus putari poteſt; at enim vero cum Sphæriæ non ſolum bene multæ naturam lamelloſam prodant; ſed inter mihi notas una ſaltem inveniatur, itidem gelatina duritiem induente conſtans & ſphærulas conſimiles, h. e. ſolidas, cylindricas, ſimilares, e visceribus quaſi ſuis per ſuperficiem globoſam protrudens, cujus deſcriptionem ſtrictam in aliud tempus reſervo, cum genere hoc annumerandam cenſui. Obvenit mihi hæc Sphæria Majo.

OBS. Conſperſam ſæpiſſime vidi pulvisculo dilute cinereo. Num ſemine?

### Figurae explicatio.

Tab. XIV fig. 113.

a. Sphæriæ ſex magnitudine ac ſitu naturali pictæ.
b. Sphæria adaucta, ut, epidermide rupta quaſi conſepta, apparet.
c. Sphæria adauctior, demto epidermidis fiſſæ cingulo.
d. Sphæriæ admodum ampliatæ & prope baſin transverſim ſectæ ſegmentum inferius.
e. Lamella quam maxime aucta, uti per verticem diſſectæ interna ſpecies in oculos incurrit.

## **) *Globiferae.*

## 38. SPHAERIA *cylindrica.*

S. ſimplex, globifera, cylindrica, ſparſa, nigra; globo ſpermatico candido.

Exiſtunt a ligno carioſo ſaligno ſparſim Sphæriæ cylindricæ, apice obtuſæ, nigræ, læves, duriusculæ, vix viſibiles, repletæ maſſula farinaceo-viscida, quæ ex earum orificio pertuſo globuli forma ejusdem coloris expellitur, mox in paſtam rigescit, ac tandem dejecta fatiscit.

Figurae

### Figurae explicatio.

Tab. XV fig. 114.

a. Fungilli e ligno erumpentes, ut magnitudine nativa conſpiciuntur.
b. Sphæria lente aucta, ligno infixa.
c. Sphæria ad perpendiculum ſecta.

## 39. SPHAERIA *parabolica.*

S. ſimplex, globifera, parabolica, lævis, aggregata, nigra; globo ſpermatico livido.

Non niſi oculo armato contemplabilis. Pullulat confertim e lignis putrescentibus humidis, figura parabolica, ſuperficie lævi, ſuperne nigra, inferne fusca. Fabricam internam ob molis parvitatem ſciſcitare non potui; aſt apicem perforatum ſenſi. Prodire ex hoc oſtiolo vidi guttulam viscidam, coloris ex lurido lividi, cito inſpiſſatam, tum vero arentem & deciduam. Capſula tenella, gelatinoſa. Septembri. Plantula, uti præcedens, perrara.

### Figurae explicatio.

Tab. XV fig. 115.

a-d. Sphæria admodum aucta
- a. de ligno protuberans;
- b. adulta, fructificans;
- c. conſenescens.
- d. ligno effoſſa.

## 40. SPHAERIA *conica.*

S. ſimplex, globifera, conico-tomentoſa, aggregata; globo ſpermatico flavo, atrescente.

Admodum parva, agminatim crescens, figura in pyriformem ſatis quadrante; ſed in ſitu naturali conſpecta, h. e. baſi ſedi ſuæ inhærens, pyramidalis cernitur. Capſula nigra, cujus ſtructuram intrinſecam quominus explorarem, molis tenuitas vetuit, tomento ſubraro livido eſt obſita. Guttula e poro ascendens ſordide flava

 primum

primum eſt & ſubpellucida; ſed condenſata colorem jam mutat in piceum & globulus, antequam decidit, fit nitidiſſimus. In ligno arido Coryli. Aprili.

### Figurae explicatio.

Tab. XV fig. 116.

a. Fungulorum acervuli magnitudine naturali depictorum.

b-e. Sphæria adaucta

b. primum comparens;

c. adulta, guttula ebulliente;

d. ſenior, guttula in globulum atrum converſa.

e. Eadem Sphæria, uti ligno exſculpta cernitur.

## 41. SPHAERIA *ſubulata.*

S. ſimplex, globifera, ſubulato-granulata, aggregata, fusca; globo ſpermatico flavo, atres ente.

Obviam habui in exſiccati Agarici aurati (*Fl. dan. t.* 980) ſuperficie denſo agmine luxuriantem. Statura unius fere lineæ; figura coni elongati, baſi convexa; ſuperficies granulata, coloris fuſci, initio dilutioris, ſed poſterius ſaturatioris. Apicem vidi (Hypoxylorum more) pulviſculo albo conſperſum; ſed interiora fungilli minimi & gracillimi rimare non valui. Guttulam explodit aureo colore nitentem, pellucidam, egreſſu ipſo ovalem. (Sic a me eſt depicta; ſed ad modum aliorum fungorum hydrophororum formam hanc primogeniam, ovalem, poſthac in globoſam tranſire, nullus dubito.) Cum exempla a me lecta & capſæ papyraceæ indita, tempore quodam interjecto, reviderem, globulos omnes deturbatos in atrum pulverem jam reſolutos inveni: certo igitur guttula condenſatur, colorem mutat & fatiscit. Capſula junior natura molliuſcula gaudet, ſed rigida poſtmodum invenitur. Conſpexi fungillum ut qui maxime rarum Septembri.

### Figurae explicatio.

Tab. XV fig. 117.

a. Agmen Sphæriarum nativa magnitudine depictarum.

b. d. e. Sphæria adaucta, fungo decrepito inhærens, ut cernitur,

b. p oveniens;

d. fructificans;

e. nutante

e. nutante acumine langueſcens.
c. Sphæria adauctior a ſede ſua ſemota, ut tempore fructeſcentiæ conſpicienda venit.

## 42. SPHAERIA *dubia*.

S. ſimplex, globifera, elongato-attenuata, aggregata, griſea; guttula ſpermatica ſubpellucida, alba, luteſcente.

Fungulus lineam & quod excurrit altus, propemodum, cylindricus, ſuperne attenuatus, molliuſculus, colore griſeo, tantillum in hyalinum vergente, ad apicem deorſumque flavo, cui fulvi quid admixtum eſt; ſuperficie lævi, attamen ad baſin tomentoſa. Guttula, gelatinæ albidæ ſimilis, globoſa, ſemipellucida, flaveſcit. Conſpicatus ſum germinantem in alburno rami querni, carie infeſtati, Septembri.

OBS. Ad plantulæ oppido minutæ delicatæque interna indaganda cultellum in ſubſidium vocare mihi non licuit. quamobrem cum globuli gelatinoſi nec conſiſtentiam, neque colorem ſtramineum porro immutari obſervaverim; quin illum poſtmodo obductum pulviſculo concolore videre mihi viſus ſim, vereor admodum, ne de Sphæriis eximenda & ad Stilba ablegenda ſit.

### Figurae explicatio.
Tab. XV fig. 118.

a. Fungillorum grex magnitudine naturali depictorum.
b. Fungorum adauctorum trias, duobus inferne connatis.

## 43. SPHAERIA *penetrans*.

S. ſimplex, globifera, globoſo acuminata, collabeſcendo concaveſcens, aggregata, nigra; globo ſpermatico atro.

*α.* Patella.

Minimis ſui generis merito aſſociatur, cum puncto paulo major appareat. Crebro innaſcitur, menſe Septembri, caulibus plantarum putreſcentibus, aggregata, quin conferta. Capſulæ nigræ, læves, nitidæ, globoſæ, vertice acuminato, pondere mucilaginis, in guttulæ formam expreſſæ & poſtea in globulum, omnis nitoris expertem, coagulatæ, deprimuntur adeo, ut tandem in Patellæ formam excaventur;

ventur; globulis ipſis tum decidentibus. Sphæria hæc initio plane eſt demerſa; at ſuccreſcendo ſenſim e cortice, in quo nidulatur, ad hujus ſuperficiem tendit, eamque demum ſuperat.

### Figurae explicatio.

Tab. XV fig. 121.

a. Sphæriarum grex, magnitudine nativa depictarum.

b-f. Sphæria per lentem viſa.

b. extuberans;

c. adulta jamque dimidia ſui parte ultra ſuperficiem corticis caulini elevata;

d. corticem hunc tota quanta ſupereminens; ſed & conſeneſcendo jam depreſſior facta;

e. exoleta et tum perfecte concava;

f. nondum collapſa, ut verticaliter ſecta apparet.

β. compreſſa.

Varietate α paulo major, corticalis æque ac lignaria, lineari plerumque tractu confertimque proveniens, capſulis ovato-compreſſis, nigris, lævibus, ſæpe deflexis. Ligno adhuc plane demerſa jam fructificat. Globulus ſpermaticus, ater, admodum, poſtquam induruit, nitet. Varietas hæcce nunquam collabeſcit.

### Figurae explicatio.

Tab. IX fig. 74.

a. Sphæriæ magnitudine naturali repræſentatæ.

b. Sphæriæ adauctæ.

## 44. SPHAERIA *Peziza*.

S. ſimplex, globoſa, hydrophora, aggregata, rubens, collabeſcendo concaveſcens.

Capſulæ perfecte globoſæ, læves, ſatis duræ, friabiles, primum flavæ, poſtea croceo miniatæ, tomento breviſſimo ac delicatiſſimo, candido, obſitæ, magnitudine ſeminis Milii, gregatim ſtipites cæſarum fagorum & betularum, nec non lignum ſalicum cavernoſum incolunt. Repletas ſemper inveni latice limpidiſſimo, qui, quo demum

demum pacto & quanam ſub forma protrudatur, dicere nequeo. E capſula vero hunc exturbari inde conjectatur, quod fungus adultus collabescit & tandem in modum cupulæ depreſſus cernitur. At vero in vertice funguli obſervatur macula rotunda, colore vividiori ſaturatiorique conſpicua, ubi certiſſime, ſed modo mihi quidem incognito, humor ille cryſtallinus ſeu perſpirat; ſeu alio quocunque modo excernitur; porum enim capſulæ nondum diſtincte conſpicatus ſum. Sphæriæ ſenescentis color dilutior ac languescens ſit; margo autem denique rugoſo-crenulatus apparet; fibrillis capillaribus, ad morem Pezizarum, ligno affigitur. Viſendam ſe mihi præbuit aliquoties aeſtate ac autumno. (Julio & Octobri.)

### Figurae explicatio.

Tab. XV fig. 122.

a. Sphæriarum cohors, magnitudine naturali repræſentatarum.

b-e. Sphæria ampliata

b. junior;

c. adulta;

d. decrepita;

e. ad perpendiculum in aetatis flore perfecta.

## 45. SPHAERIA *Acroſpermum.*

S. ſimplex, globifera, cylindrico-ventricoſa, pulla, conferto-aggregata, collabescendo ſtrigoſa.

α. nigra.

Magnitudine variat, ſæpius vix lineæ dimidio; interdum vero fesquilineæ aequali. E ligno putrescente quercino agmine plerumque conferto progerminat, Hydnum tum nigrum idque minutiſſimum mentiens. Superficies lævis, aequalis, aſpectu nigra, per lentem viſa colorem ſaturatius fuscum prodit; forma plus minus cylindrica, in medio fungo obſolete ventricoſa, cernitur, quare eodem forte jure elongato-ovalis appellatur. Apex ferme parabolicus nitorem quendam habet; ſed perforatum diſtincte non vidi; nec, ut Sphæria ipſa, tandem fit ſtrigoſus. Conſperſum, exeunte Martio, vidi pulvisculo tenerrimo, candido; repletas autem capſulas mucilagine notiſſima, livida, et ſubinde tapetio, jam ſæpius dicto, candido Batſchii indutas inveni. Natura earum gelatinæ ſenſim indurantis. Superficiem ligni,

ligni, cui innaſcuntur, ſemper ferme atramento quaſi tinctam obſervavi. Fructificationem non vidi; ſed vix dubium ſubeſt, quin Sphæriis globiferis ſit adjungenda hæc noſtra, quam Martio ac Aprili menſibus, nec non Septembri, obviam habui.

Figurae explicatio.

Tab. XV fig. 119.

a. Sphæriæ aggregatæ, magnitudine naturali pictæ.

b-d. Sphæria adauctior

b. adulta;

c. inveterata;

d. ad perpendiculum ſecta, comparente intus tapetio candido Batſchii.

β. tricolor.

Figura in hac perfecte eſt cylindrica. Globulus ſubpellucidus, nitidus cum fungo quaſi concretus videtur. Color illi atro-rufus, ferme ſpadiceus; ſed Sphæriæ ipſi nigro-fuscus, quæ ad apicem cinereo pulvisculo obducta cernitur. Menſura fungilli unius lineæ; ſedes rami querni, putrescendo jam excorticati. Autumno varietatem hanc interdum vidi, priori longe rariorem.

Figurae explicatio.

Tab. XV fig. 120.

a. Quaternio fungillorum, magnitudine naturali delineatorum.

b. Fungulus, mole per lentem aucta.

## 46. SPHAERIA *gelatinoſa.*

S. compoſita, globifera, pulvinato-gelatinoſa, lutea, monoſticha; globulis ſpermaticis ſtramineis.

α. lutea.

Ligna in uliginoſis putrescentia inhabitare amat Sphæria hæc gregatim ſparſimque crescens & magnitudine admodum, h. e. a ſemilinea usque ad hujus triplum varians. Figura rotundata, ſubangulata, vel ad pulvinaris, vel ad placentæ ſimilitudinem accedens; color ſtramineus; ſubſtantia fungi molliuscula, propemodum gelatinoſa, corticis (ſaltem conſpicui & ſeparabilis) expers. Superficies lævis, nitore omni orba, aequalis; ſed mature discus Sphæriæ adolescentis papulata ſit,

tum

tum vero puſtulis hisce ruptis extuberant papillæ, ſive orificia, ſphærularum unico ſolum tabulato, ſed proxime ſuperficiei, ſubjacentium. Figura earum globoſa eſt, vertice, ſeu papilla, in conum elongato; color flavus, in papilla vivide croceus. Excuſſam ex his vidi paſtam globoſam, dilute citrinam, denique fatiscentem. Conſpicatus ſum interdum Sphæriam hanc memorabilem ac rariorem Septembri.

## Figurae explicatio.

Tab. XVI fig. 123.

a. Sphæriæ gregatæ, ut oculo haud armato cernuntur.

b-f. Sphæria per lentem vitream viſa

b. adolescens;

c. eadem ad perpendiculum diſſecta.

d. Sphæria adauctior fructificans.

e. Sphærula de ſede ſua revulſa.

f. Eadem una cum globulo ſpermatico ictu verticali diſſecta.

### β. viridis.

Lignaria, ut præcedens, ejusdemque figuræ, ſubſtantiæ, coloris ac magnitudinis. Comparet poſt imbres autumnales ſub ſpecie globuli puſilli, minutiſſimo teneriſſimoque tomento candido (num polline?) obducti; ſed ſphæricam formam cum pulvinata, colorem autem candidum cum ſtramineo commutat: tomento nempe illo candido, ſeu, ſi mavis, pulvere, mature evanescente. Cuticula fungi (aſt a pulpa inſeparabilis) quaſi papyracea, initio æqualis, ſed in ſenescente rugoſula fit. Colliculatus cernitur discus, ſphærularum papillis ubique punctorum, ſeu potius granulorum, nigrorum inſtar eminentibus; attamen revera non ſunt nigræ, ſed pervirides, mucilagine ejusdem coloris repletæ. Subſtantiæ albæ ac ſucculentæ fungi immerſæ ſunt. Fructificationem nondum vidi. Varietatem hanc, amœniſſimis ſimulque rariſſimis Sphæriis annumerandam, bis ſolummodo huc usque reperi: una vice Septembri, altera Octobri.

## Figurae explicatio.

Tab. XVI fig. 124.

a-c. Sphæria magnitudine naturali depicta

a. protuberans;

b. increscens;

c. adulta.

d-f. Sphæria, uti ſub lente comparet,

d. junior, tomento byſſino obducta.

e. ſub tempus fructeſcentiæ.

f. eadem diſſecta.

## ***) Styliferae.

## 47. SPHAERIA *gnomon.*

S. ſimplex, ſtylifera, aggregata, globoſa, collabeſcendo concaveſcens, nigra; ſtylo ſpermatico procero, ſubrecto.

Extuberat gregatim e cuticula foliorum deciduorum, præſertim Coryli Avellanæ, magnitudine circiter arenulæ. Figura globi, utroque polo compreſſi, lævis, nigri, (ſub lente nigro-fuſci,) hemiſphærio inferiore folio immerſi. Vertex tempore fructeſcentiæ perforatur, & per oſculum hoc mucilago, ſeminibus fœta, ſub ſpecie cylindri, ſubobtuſi, recti, exploditur, colore hujus nativo livido in atrum extemplo mutato. Occallet ſenſim, ſed priusquam hoc ſit, haud raro pondere ſuo curvatur. Inter et poſt expulſionem liquoris viſcidi capſula collabeſcit & concava demum cernitur, jam ſatis dura facta. Stylus ſpermaticus poſtquam decidit, in pulverem atrum fatiſcit. Obvenit hæc Sphæria, cupulam gnomonicam veterum ſic ſatis facie externa referens, interdum mihi Martio ac Aprili.

### Figurae explicatio.

Tab. XVI fig. 125.

a. Catervæ fungillorum naturali magnitudine depictorum.

b-f. Sphæria ampliata.

b. Sphæriæ tres protuberantes.

c. Sphæria adulta, a ſede ſua remota.

d. Sphæria, fructeſcentia peracta.

e. Sphæria conſeneſcens, ſtylo centrali jam dejecto.

f. Sphæria fructificans verticaliter ſecta.

# 48. SPHAERIA *Lingam.*

S. ſimplex, ſtylifera, aggregata, ſubovalis, pulvinata, collabescendo concavo-rugoſa, atra; ſtylo ſpermatico breviusculo, decumbente.

Magnitudine Sphæriam præcedentem parum antecellit, cui ſummatim nimium ſimilis invenitur. E caulibus exſiccatis Braſſicæ oleraceæ rubræ denſe pullulat figura ovali, nec non rotunda, pulvinata, ſuperficie lævi, atra. Capſulæ, ut primo ſtylum protrudunt ſpermaticum, concolorem, nitidulum, jam collabescere hoc pacto incipiunt, ut ſulcus plerumque in vertice fungi, dimidio ſui cauli herbaceo immerſi, extemplo appareat, plus minus hians poſthac, in morem labiorum diſtortorum. Stylus nunquam pleniſſime obfirmari videtur, certe nutantem fere ſemper, ac decumbentem inveneris, ſimulque breviusculum: quid? quod haud raro rudimentum ejus ſolummodo apparet. Sphæria vieta, ſi quæ alia, multiformis deprehenditur: nunc v. c. complanatam; nunc orbicularem tumida; nunc vero quaſi labiatam; nunc demum in labia, ſeu plicas concentricas, ſubangulatas, corrugatam cernes.

Figurae explicatio.

Tab. XVI fig. 126.

a. Sphæriæ coagminatæ, magnitudine nativa depictæ.

b-e. Sphæria adaucta

b. junior & jam fructificans, in ſitu naturali;

c. adulta, e fibris caulinis evulſa.

d. Sphæriæ vario modo collapſæ.

e. Sphæria poſt fructescentiam ad perpendiculum diſſecta.

# 49. SPHAERIA *tubaeformis.*

S. ſimplex, ſtylifera, aggregata, globoſa, collabescendo cupularis, atra; ſtylo ſpermatico craſſiusculo, connato, bicolori.

Folia decidua Fagi, Carpini & Betulæ in ſuperficie prona interdum ſpinulis vix viſibilibus, aggregatis horrent. Quodſi lente admota ejusmodi folia perluſtrantur; tubercula obſervantur minutiſſima, hemiſphærica, fulva apice ſindenda. Per hanc fiſſuram effertur ſpinula, ſeu ſtylus craſſiusculus, ſubobtuſus, lævis, aequalis, ſubrectus, fulvus, ſubſtantiam e gelatina obduratam prodens. Surgit hic e poro Sphæ-

riæ minimæ, globoſæ, atræ, ſubtiliſſime punctatæ, maſſam aſpectu ceream, albentem (e mucilagine dubio procul coagulatam) includente. Inhabitat fungillus agminatim foliorum ſiccorum medullam & ſuccreſcendo mole ſua auctiori paginam eorum averſam in colliculos jam dictos elevat; ſed ſimul Sphæria quælibet paginam folii adverſam diametrali plaga leviter fornicat. Capſula ſphærica poſt fructificationem cupularis, ſeu hemiſphærica, apparet, teſtimonis graviſſimo, ejus hemiſphærium inferius, dum per oſtiolum exprimitur mucilago ſeminifera, motu quaſi convulſivo vique maxima ſurſum, ſeu ad verticem & concamerationem fungi ſuperiorem, rapi ibique quaſi agglutinari: quo fit, ut tum hemiſphæricus ille appareat. Sed exploſus ex hujus orificio liquor viſcidus, ut inde natus ſtylus ſpermaticus, illico congelantur, colore illius nativo in fulvum, apicem verſus luteſcentem; ad oſtiolum autem capſulæ verſus nigreſcentem, mutato. Cum iſthoc capſulæ poro poſtea ita concretus cernitur, ut, cum in ipſo inſertionis loco eodem hujus atro colore gaudeat, corpus ſimpliciſſimum tubæforme oculis ſcrutantibus objiciat. Fungum vernalem Majo legi.

OBS. Nonnunquam Sphæriam in ſuperficie foliorum ſupina fructificare vidi.

## Figurae explicatio.

Tab. XVI fig. 128.

a. Sphæriæ, magnitudine naturali pictæ, greges repræſentantur.

b-i. Sphæria ope lentis vitreæ adaucta.

b. Sphæria ſub puſtula latens.

c. Alia, ſtylo ſpermatico hanc jam nunc rumpente.

d. Alia, ſtylo hoc jam toto quanto prominente.

e. Eadem hoc pacto ſiſtitur, ut puſtula utraque, hinc inde illam operiens, una compareat.

f. Sphæria ſenior, pagina, ſeu lamella, utraque folii illam foventis ad perpendiculum diſſecta.

g. Eadem, ut demto integumento ſuperiore ac inferiore cernitur.

h. Sphæria nondum collabeſcens per verticem, una cum folii complectentis ſegmento, verticaliter perſecta, quo nidus funguli, aeque ac hujus figura, incipientis fructeſcentiæ tempore, dilucide ob oculos ponuntur.

i. Sphæria,

i. Sphæria, tempore hoc elapſo, ſimilem in modum diſſecta, quo ſtyli ſpermatici coalitio cum capſula, colorque illius, ex fulvo baſin verſus in atrum gradatim tranſiens, fit contemplabilis.

## 50. SPHAERIA *hyſtrix.*

S. compoſita, ſtylifera, ovalis, convexo-plana, aggregata, nigra, monoſticha; ſtylis ſpermaticis proceris, ſuperne ſubincraſſatis, cum ſphærulis connatis.

Corticalis, oblonga, primum convexa, conſeneſcendo verum complanata, ſedem ſibi ſub epidermide ramorum aridorum figit, de qua extuberans cuticula rupta conſepitur. Menſura ejus diametro culmi triticei aequiparanda. Medulla fungilli fibroſa quidem, ſed laxius cohærens, coloris e cinereo rubentis, cortice tenuiſſimo lævi, nigro obtegitur. Sphærulæ atræ, læves, baſi compreſſæ, vertice autem in conum obtuſum productæ, in unico tractu, cuti huic contiguo, collocatæ conſpiciuntur. Mucilagine vulgatiſſima, viridi-griſea, repletas vidi. Styli nigri inde nati, proceri, rudes, ſubarcuati & apicem verſus ſæpiſſime incraſſati ſimulque compreſſi, cum oſculo capſularum ita connati cernuntur, ut nullum hujus veſtigium ſuperſit. Facile decidunt, nec apprime rigent. Octobri gregatim creſcentem reperi.

OBS. 1. Vidi varietatem aeſtivam, minimam, ſubſtantia potiſſimum nigra ab hac diverſam; ſed fortaſſis & in noſtra hæc demum fit nigra.

2. Non confundenda eſt cum Sphæria tentaculata *Batſch. cont. I. p. 277. t. 30. f. 182.*

### Figurae explicatio.

Tab. XVI. fig. 127.

a. Fungilli magnitudine & ſitu naturali depicti.

b. Sphæria ampliata.

c. Eadem verticaliter diſſecta.

d. Sphærula adaucta, ut e nido ſuo extracta apparet.

e. Sphærula fructificans dimidiata.

## 51. SPHAERIA *Ceratoſpermum.*

S. compoſita, ſtylifera, ſubrotunda, pulvinato-convexa, aggregata, nigra; ſphærulis bifariis; ſtylis ſpermaticis ſcabro-rudibus, cum iisdem connatis.

Ceratoſpermum nigrum minimum diſcoides *Mich. P. G. p. 125. n. 2. t. 56. f. 1.*

 α. ſtrigoſa

α. ſtrigoſa.

Sphæriæ proxime præcedenti perquam ſimilis; ſed hac aliquantum major, bilinearis nimirum diametri, magisque convexa & plerumque rotundata. Cortex niger, lævis, aequalis, a ſubſtantia fungi inſeparabilis. Hæc fibroſa, minus compacta, alba, languide demum fuscescens. Sphærulæ globoſæ, nigræ, maxima ex parte fœcundæ ſunt, tumque ſtylum ſatis longum, ſuperſicie ſcabrum, ſtrigoſum & longitudinalirer quaſi ſulcatum expellunt, e mucilagine livido-lurida paulatim obdurescentem, cito vero nigrescentem, quem apice pulvere albido interdum conſperſum vidi. At enim adſunt & aliæ ſphærulæ globoſæ, concolores, aſtomæ, inferiora foventis ſubſtantiæ, ſeu medullæ fungi, tenentes: hæ, cum nunquam ſtylum ſpermaticum producunt, pro ſterilibus jure meritoque habentur. Sacculo, ſeu tunica unguinoſa, (mucilaginis ſpermaticæ reſiduo coagulato,) utrarumque capſularum parietes internos vidi laqueatos. Reperi fungillum, cortici Roſæ caninæ demortuæ gregatim innatum ejusque epidermide ſiſſa obſeptum, Julio.

Figurae explicatio.
Tab. XVII fig. 131.

a. Fungilli tres magnitudine nativa repræſentati.
b. Sphæria ampliata.
c. Eadem admodum aucta, ut verticaliter diſſecta conſpicitur.
d. Sphærula fœcunda, adauctior, uti, eodem modo una cum ſtylo ſpermatico perſecta, apparet.

β. farcta.

In paucis modo varietati α disconvenit. Medulla nempe Sphæriæ, ſphærulas fovens, his ferme omnino farcta invenitur, quarum attamen hæ, quæ cortici ſunt contiguæ, ferme ſolæ videntur ſtyligeræ eſſe. Styli ipſi rudes & interdum obſolete articulati. Cortex lævis, æqualis, membranaceus, ſeparabilis. Ambitum Sphæriæ, in ramis ramulisque varii generis putrescentibus obviæ, rotundam, ſed & ovalem interdum inveni admodumque convexam. Vernalis eſt & medio jam Martio menſe fructificantem, capſulis tum humore viscido cinereo turgidis, obſervavi.

OBS. Obtegitur varietas hæc fere ſemper, quando exolevit, plantula quadam miratu digna, byſſum arcuatam, alopecuroidem ſimulante, de qua alio tempore uberius & fuſius diſputabimus.

52. SPHAE-

## 52. SPHAERIA *fragifera.*

S. lata, Spolyc...

S. compoſita, ſtylifera, plana, nigra, monoſticha; ſtylis ſpermaticis e ſingula capſula ſucceſſive protruſis, breviſſimis, coadunatis.

In fragmine aſſulæ putrescentis quernæ vidi hanc Sphæriam, ſed non integram, quare de ejus magnitudine ambitusque forma nihil pronunciare poſſum. Cruſtam autem vidi ſuperficie ſcabram, nigram, quæ vero, per lentem vitream curatius inveſtigata, tuberculis minimis, fragiſormibus, nigris, denſe obſita apparuit. Conſtat quodlibet eorum ſtylis ſpermaticis nonnullis, (6-8) ex eodem ſphærulae poro iterato niſu expreſſis, qui cum breves admodum ſint, & antequam obdurescunt, invicem leniter confluant, figuram inde fragi, ſeu, ſi mavis, nucis pineae, utcunque obtinent. Sphaerulae ad aciculae minimae capitulum magnitudine accedentes, ovatae, atrae, laeves, nitidae, immerſae ſunt ſubſtantiae apparenter cereae, coloris e cinereo in glaucum vergentis. Inveſtitas interne ſacculo Weigeliano vidi. Condonavit me peramanter exemplo hujus fungilli unico, jam deſcripto, clariſſ. *Timmius*, quod autumno a ſe lectum teſtatur.

### Figurae explicatio.

Tab. XVII fig. 132.

a. Segmentum ligni, cui innata eſt Sphæria.

b. Sphæriæ recta præſectæ & a ligno ſeparatæ fruſtum.

c. Sphærula aucta in ſtatu fructificationis. (Demta maſſa Sphæriæ, ſeu medulla, cui immerſa erat illa, & relicta modo corticis fungilli particula.)

d. Sphærula ampliata in eodem ſtatu repræſentatur, diſſecta directione verticali in hunc modum, ut tum corticis, medullæque Sphæriæ; tum vero & ligni, cui innati eſt, portiuncula oculis ſubjiciatur.

## 53. SPHAERIA *verſipellis.*

deuſta.

S. compoſita, ſtylifera, polymorpha, convexo-bicorticata, nigra, deuſta, monoſticha; ſphærulis biformibus; ſtylis ſpermaticis obſolete nodoſis, ſubuncinatis.

Lichen-agaricus cruſtaceus craſſus &c. *Mich. G. P.* p. 104. *n.* 3. *t.* 54. *f.* 1.

Sphæria maxima convexa nigerrima *Hall. hiſt.* p. 122. *n.* 2192.

Sphæria

Sphæria maxima *Web. ſpicil. p.* 286. *n.* 301. *Dickſ. crypt. p.* 23. *Wigg. holſ. p.* 84. *n.* 939.

Lycoperdon fraxineum *Hudſ. angl.* 2. *p.* 641. *n.* 3.

Sphæria deuſta *Hoffm. crypt.* I. *p.* 3. *t.* 1. *f.* 2. *Timm. Megap. p.* 279. *n.* 1176.

Sphæria hæc vulgaris quidem admodum eſt, cum frequentiſſime truncis demortuis Fagorum adnata inveniatur; ſed obveniunt in illa plura nondum evulgata & uberiori deſcriptione haud indigna. Verſipellis omnino nomine inſigniri meretur, cum faciem ſuam aetatis decurſu plus una vice mirum in modum mutet. Ineunte ſcilicet vere provenit ſpecie expanſi gelatinoſo-tomentoſi, repentis, candidi, rotundati, vel ovalis, pollicaris, bipollicaris diametri, margine repandi. Sed maculis orbicularibus aggregatis, mox diſtinguitur ejus ſuperficies, ceu ſpeculis depreſſis, diametro 2-4 lineari, pulvisculo amœne glanco obductis, paulatim vero perfecte ſic confluentibus, ut integer expanſi discus unicum ſpeculum jam efficiat, pulvere dicto ſuperſtratum, margine tumido ſolum excepto, colorem nativum nondum mutante. Aeſtate autem appropinquante ſubſtantia fungi gelatinoſa in fibroſam lentamque, quin demum in ligneam ferme Agarici quercini L. obdurescere incipit; margo autem jam lævis fit magisque repandus, quid? quod ſubinde inciſo-lobatus. Interea discus magis explanatur ſimulque corrugatur in centro, ubi rugæ hæ partim in tubercula polymorpha poſtmodum abeunt. Superficies inferna, qua fungus ligno ſtipitum adhæret, jam nigro-fusca, inaequalis & exaſperata invenitur. Subſtantia ipſa ſucculenta eſt ac candida, inferne plerumque rubens, et punctis cum conſpiciatur notata confertis, nigris, in eadem, ut videtur, ſerie collocatis, fasciata quaſi apparet: jamque ſphærularum rudimenta ovalia, gelatinoſa, dilute fusca, cernuntur. Fungus aetate eo procedens Lichenibusque coriaceis decumbentibus haud multum abſimilis factus, vel excutere, vel amittere incipit pulvisculum illum glancum, in quo pollen genuinum agnoscere parum ſane abeſt, quin cogamur. Nunc vero tandem Sphæriæ faciem induere hic noſter occipit: discus enim, huc usque planus, jam fit convexus, centro depreſſo, & ſic bovillum renem haud male refert, cum ambitus ejus plerumque ſit ellipticus, auriculæ ſimilis, in diametrum ſæpe triuncialem, quin interdum quadruncialem, ſuccrescendo dilatatæ; ſuperficie inferiore in præſenti nigra, obſolete concava, ejusque centro in formam coni brevis, inverſi, umbonato, cujus, ceu radiculæ, ope ligno

caudicino

caudicino inhæret nutriturque fungus. Color ſuperficiei lævis, ne margine quidem excepto, nunc eſt fuscus; ſed ex fusco jam in nigrum vergens. Ipſamet cuticulam ſiſtit fungi bicorticati membranaceam, tenuem, jam colliculatam puſtulis confertis, quas concient ſphærulæ in medullam Sphæriæ primum demerſæ, ſed impulſo inteſtino ad cutem ejus propius ſemper tendentes, usque dum papilla ſua huic inſigantur. Perforant, inquam, papilla cutem fungi, ſeu corticem ejus interiorem, ſed neutiquam, exteriorem, ſeu cuticulam; hanc vero in puſtulas jam memoratas, denſas, hemiſphæricas elevant & diſtendunt mole ſua globuli byſſini, quorum jam ſæpiſſime memini, ex orificio capſularum ante mucilaginis ipſius ſementivæ exploſionem exſilientes. Sed cum ejusmodi globulus de more contabescat evanescatque, in loco, ubi jam puſtula erat, poſthac vovea cupulæ forma cernitur, cujus de meditullio Sphærulæ papilla atra jam protuberat. Mucilago hæcce ſub initium autumni e capſulis expellitur inque ſpeciem ſtyli atri, ſcabri, ſeu potius leviter nodoſi, (conſtat enim glebulis coagmentatis,) & pedetentim obdurescentis figuratur, qui pondere ſuo ſæpiuscule vel arcuatus, vel uncinatus, plerumque vero decumbens conſpicitur & in minutiſſimum pulverem fatiscit. Et nunc conſenescere incipit Sphæria, magis magisque nempe forma ejus convexa augetur, admodum jam colliculoſa quoque & angulata, ſimulque durior, fit deuſtaque videtur, & in margine ſæpenumero apprime undulata conſpicitur; ſubſtantia ipſa, jam plane exſiccata & friabili, adeoque tandem contabescente, ut ferme non niſi cutis de ea remaneat; lamella inferna fungi ad ſphærularum baſin prorſus attracta. Sphærulæ ovales, laeves, interdum verrucis ſparſis aſperatæ & lineam dimidiatam longæ, duplicis ſunt ordinis: fœcundæ nimirum & ſteriles. Priores papilla ſatis eminente (ſuccrescente, ad modum aliarum, ut mihi ſit veriſimile) ſunt inſtructæ, & ſolæ globulum byſſinum evomentes, colliculos illos minutiſſimos, in epidermide fungi conſpicuos, producunt; poſteriores non niſi papillæ rudimentum produnt. Epidermis demum nigra; ſed cutis ipſa Sphæriæ atra, reſinoſa, cum diſſecatur, nitida cernitur & floccis albidis congeneribus, (an globulis forſan byſſinis abortivis?) intertexta. Medulla fungi tempore fructescentiæ adhuc albet; ſed colore jam in cinereo-fuscum aperte vergente; paulo poſt vero e fusco in ſpadiceum, badium, nigrescentem & tandem in nigrum tranſit. Mucilagine livida plenas capſulas interdum vidi, interdum tapetio nobili Batſchii ſtratas, alioquin inanes.

OBS. 1. Si pulviſculus ille glaucus, cui immixta quandoque filamenta tenuiſſima, araneæ ſtaminibus perſimilia, vidi, pollen Sphæriæ non eſt; ecquid eſt? Si illud autem re vera eſt; quid, quæſo, de globulis byſſinis, ex mea hypotheſi polliniferis judicandum demum erit? Heu, quantis adhuc tenebris hic omnia ſunt circumfuſa!

2. Memorabile & hoc mihi videtur, globulos hosce, crucem dixerim Botanicorum, in Sphæria noſtra, uti in ſubſequente, intercutaneos eſſe.

3. Deſcriptio Micheliana *Lichen-Agaric. ord.* II. *n. 1. p. 104.* Sphæriæ noſtræ faciem aeſtivam adumbrat, quemadmodum a nobis Fig. 129. c. eſt repræſentata.

## Figurae explicatio.

### Tab. XVII fig. 129.

a-e. Sphæria magnitudine naturali depicta.

a. Recens orta, ſed ſpeculis pulverulentis jam in fungo gelatinoſo-pubido, conſpicuis.

b. Adultior, polline discum integrum obducente, margine verum jam glabro & detumente.

c. Aetate florens, inſtante fructescentiæ tempore.

d. Conſeneſcendo tuberculoſo-lobata varieque criſpata.

e. Sphæriæ verticaliter diſſectæ fruſtulum.

f-h. Sphæriæ auctæ ſegmina.

f. Fragmentum Sphæriæ fructificantis, ad amuſſim præſectæ.

g. h. Segmentum adauctius, Sphæriæ ſiſtens cuticulam cutemque, fungi ſubſtantiam & puncta nigra (uti ſcilicet diſſecti apparent ductus concolores, ſuccum nutricium ſphærulis advehentes) nec non ſuperficiem ejus inferiorem. Præſertim hic exhibentur dimidiatæ

g. Sphærula ſterilis;

h. Sphærula fœcunda, tempore fructescentiæ papilla globum byſſinnm jam penetrans.

i. Sphærula fœcunda, lentis ope ampliata, uti ejus papilla poſt fructificationem e fundo voveae, a velo globoſo, fugaci, excavatæ, eminet. (Libera ſphærula repræſentatur, corticis fungi particula ſolummodo huic adhærente; eo conſilio nempe, ut cavernula ipſa papillæque in hanc inſertatio eo melius illuceant.)

54. SPHAE-

## 54. SPHAERIA *tunicata.*

S. compoſita, ſtylo-cirrifera, ſubovalis, tuberoſo-bicorticata, obſolete caulescens, fusca, monoſticha; tunicis, ita ut ſphærulis biformibus, connatis; velis particularibus confluentibus, fugacibusque.

Valſa tuberoſa *Scop. carn.* 2. II. *p.* 399. *n.* 1415. Sed Synonyma *Mich.* huc non pertinent.

Sphæria tuberoſa *Tim. megap. p.* 279. *n.* 1177.

In Sphæria hac non minus, quam in proxime præcedente, quædam in cæteris ſpeciepus inſolitæ apparentiæ obveniunt. Figura ejus plerumque ovalis, raro rotunda, ſemper tuberoſa, creberrime aequalis, ſæpiuscule autem inæqualis & obſolete angulata, vertice nonnunquam depreſſo, cernitur. Magnitudo ejus interdum nuci Avellanæ ſuppar eſt; at haud raro menſura ferme pollicaris, quin ſedecim lineis aequalis, hic obtinet. Cuticula ejus fusca, ſenſim in ſpadiceum & poſthac in atro-rufum colorem vergens, a cute ipſa atra inſeparabilis, admodum tenuis demumque evanescens, obtegitur tomentone dicam, an pulvere? coloris e ſtramineo & fusco mixti, itidem evanescente: quare fungus conſenescens ater glaberque apparet. In baſi rudimentum caulis prominens, fuscum conſpicitur, in juniori Sphæria cylindricum; in adulta vero inverſe conicum. Conſtructio interna hanc ſpeciem a cæteris omnibus, mihi quidem notis, nomine plus uno ſeparat. Primum enim fungi ſubſtantia tota quanta, ad effigiem ferme bulbi tunicati, concamerationibus concentricis quibusdam (4-6) magnitudine variis, h. e. alia ſemper ab alia ampliori incluſa, invicemque connatis conſtat. In his, capaciſſimo, ſeu extimo, fornice excepto, qui ſphærulas extemplo deſcribendas fovet, totidem tabulata, ſeu receptacula capſularum abortiva, conſpicies: ſphærulis ſcilicet, quibus excipiendis deſtinata videntur, nunquam comparentibus, ſeu potius nunquam exiſtentibus; ſed alveolis modo earum continuis, cortici cuidam imperfecto, atro, ſubnatis, comparentibus. Contabescunt quodammodo alveoli hi, ſeu texturæ levidenſis ſeptulæ, & ſuccedente tempore colorem candidum cum nigro commutant, quod cum factum eſt, ſubſtantia in maſſam pulverulentam carbonariam convertitur; centrum vero fungi arescentis plerumque excavatur & ſæpe admodum dehiscit. Ad ſphaerulas autem, uno eodemque ordine, ut jam commemoravimus, immediateque ſub cortice cellulis ſuis denſiſſime collocatas, quod attinet, omnes omnino qui-

dem obovatae, laeves nigraeque cernuntur; ſed biformatae: fœcundae partim ſcilicet, partim ſteriles, quarum priores ſolae papilla viſibili gaudent. Evomunt hae ſub ſpecie globuli byſſini araneoſam illam, cujus jam ſaepius facta eſt mentio, telam; congeries autem horum globulorum, confertim excretorum, contabescendo confluit in membranulam niveam, tenerrimam, intercutem: h. e. inter corticem atrum pulpamque fungi circumcirca diffuſam, at haud ita brevi poſt evanescentem. Sphærulæ cæterum inter ſe non ſolum lateribus ſunt connatæ; ſed baſi inſuper a ſubſtantia has excipiente mordicus tenentur. Mucilagine iſtas ſpermatophora conſueta repletas, & ſæpius tapetio nobili Batſchiano interne aulæatas vidi. Liquor ille ſeminalis e capſularum papillis, cutem fungi, alioquin aequalem, modo vix viſibili penetrantibus, fili, ſeu ſtyli, tenuis, nodoſi atrique forma ſcaturit. Nonnunquam hujusmodi ſtyli ſpermatici perquam elongati ſunt, & tum in cirri modum criſpantur; nonnunquam contra modicæ altitudinis, & tum vel ſubrectos, vel arcuatos, vel obuncos invenies; at verum maxima eorum pars cito decumbit. Textura eſt illis tam tenera, ut vel leviſſimo ſuccuſſu protinus toti corruant, in pulvisculum reſoluti: in ſingula nimirum ſemina, atra quidem, ſi nudis oculis adſpiciuntur; violacei autem ſaturatiſſimi gratiſſimique coloris, ſi per lentem ea colluſtrantur. Fungus minime rarus, polyſpermus, ſparſim, quandoque confertim, quin fasciculatim, innascitur ſtipitibus ramisque aridis Betulæ, nec non Alni, forte & aliarum arborum, Septembri menſe fructificans.

OBS. 1. En hic exemplum luculentum veli intercutanei! Fortaſſis ſtratum illud, in quo interdum Sphæriarum compoſitarum capſulæ demerſæ latent, (*Hoffm. crypt.* I. *Praef. p.* V.) nil, niſi ex ejusmodi velorum partialium confluxu obortum expanſum fœcundans vel hujus analogum quid, eſt: tum vero cum Viri acutiſſimi theoria fructificationis, generi huic peculiaris, hypotheſis noſtra de globulis byſſinis complanandis, ceu velis fœcundantibus, admodum conſentanea foret.

2. Ex jam memorati expanſi in hac ſpecie ortu ac facie elucescit, maſſam illam, e globulis colliquescendo coadunatis, albis, conflatam, quam e Sphæria fiſſivela protuberare ſupra (p. 18.) annotavimus, nil, niſi ſimile velum, eſſe poſſe.

3. Pulvere viridi hanc Sphæriam, uti præcedentem, extremo aetatis gradu ſæpius conſperſam vidi, forte notabili. Conf. *Hoffm. crypt.* I, *p.* 5. *obſ.*

Figurae

## Figurae explicatio.

### Tab. XVII fig. 130.

a-e. Sphæriam naturali magnitudine depictam exhibent.

a. Sphæriæ tres: duæ protuberantes; tertia jam adoleſcente.

b. Sphæria adulta, qualis in Betulis ſit obviam.

c. Eadem ad amuſſim diſſecta, in qua concamerationum concentricarum habitus illucet.

d. Sphæria fructificans. (Exemplo, quod hic depictum exhibemus, ex Alno exſiccata decerpto.)

e. Sphæriæ geminæ connatæ, (Alni antea incolæ,) corticis fungi particula devulſa: qua in plaga jam emicant globuli nivei, e capſulis emerſi, confluendo membranam intercutem, byſſinam, fugacem, procreantes.

f. Segmen adauctum ejusdem Sphæriæ, plagam jam dictam, cortice ibi eliſo albentem, complectens, quod eo conſilio oculis hic oblique obvertitur, ut cortex fungi duplex, necnon membrana illa nivea appoſite in hos incurrat.

g. Sphærularum ampliatarum rectaque diſſectarum trias, media fœcunda fructificante; utraque vero laterali ſterili.

# ADDENDA ET EMENDANDA.

Pag. 8. SPHAERIA *mollis.* Allucinans Sphæriam hanc dixi perforatam; clauſa enim eſt, uti e *Tab.* IX *fig.* 66. *b. c.* elucet; papillæ verum ſolummodo nitent. Maximam alias Sphæriæ globularis *Batſch. cont.* I. *p.* 271. *t.* 30. *f.* 180. (probe mihi notæ) ſimilitudinem gerit; ſed noſtra cruſtam neutiquam conſtituit; nec dura; neque interna ejus ſuperficies atri coloris eſt. Cæterum Sphæriæ ſimplices, clauſæ, molles, ſeu non duræ, nec friabiles, quarum ſuperficies convexa nigra; concava vero fusca cernitur, & quæ maſſa plerumque inveniuntur repletæ relaxa, corruente, familiam Sphæriarum peculiarem conſtituere videntur, ad quam forte et Vermicularia hiſpida (*Faſc.* I. *p.* 32. *t.* 6. *f.* 48) pertinet.

Pap. 9. SPHAERIA *cinnabarina.* E figura verticis depreſſa patet, Sphæriam hanc ad collabescentes eſſe referendam & forma primitus gaudere perfecte ovali. Adumbratio verum verticis depreſſi *Tab.* IX. *fig.* 68. *c.* non utique ex ſententia ſucceſſit; vereor certe, ne pertuſus potius, quam depreſſus multis videatur.

Pag. 10. SPHAERIA *byſſiſeda* β. Figura Sphæriæ globoſa; interdum globuli confertim & eo pacto nascuntur, ut ferme cruſtam ex iis conflatam invenias. Color expanſi byſſacei, cui inſident, ad ſpadiceum valde accedit terrae colonienſis aduſtæ, tandem vero nigrescit.

Pag. 16. SPHAERIA *mucida* γ. Admodum cum Sphæria confluente *Willden. berol. n.* 1212 concinit; ſed noſtra papillata eſt. Segregandam autem, omnibus perpenſis, varietatem hanc a duabus prioribus jam judico.

Pag. 17. SPHAERIA *inquinans.* Dubium adhuc videri poteſt, utrum integumentum illud albidum, hiſpidum, Sphæriam externe obducens (*Tab.* X *fig.* 85. *d.*) pro aggregatis ſolummodo alburni eliſi ramentis; an potius pro vera volva haberi debeat. Seminum autem paſtillos, forma cylindrica exploſos, poſtmodum & in com-

compluribus Sphæriæ ſpeciebus obvios habui; ſed intermixtos interdum aliis globoſis majuſculæ molis. Unde verum ejusmodi inſolens commixtura? Caligere me ad hæc ingenue confiteor.

Pag. 18. SPHAERIA *fiſſivela*. Coacervata perperam deſcripta pictaque ſiſtitur; eſt enim, ut perquiſite eam iterum rimando didici, e compoſitarum numero: globulis ſcilicet, ſeu ſphærulis, ut in Sphæria decidua, Ribis, cæt. ſubſtantiæ Sphæriæ concolori, ceu receptaculo communi, infixis.

Pag. 19. SPHAERIA *confluens*. Non ſemper volva illius candida fugax eſſe videtur; poſſideo certe exempla ſexennalia, in quibus integumentum hoc adhuc ſartum tectumque apparet. De reliquo minime confundenda eſt Sphæria noſtra cum confluente *Willd.* jam jam excitata.

Pag. 23. SPHAERIA *talus*. Figurae explicationi addatur:
f. Sphærula libera, ut mole aucta apparet.

Pag. 27. SPHAERIA *natans*. Semina, ut nupera obſervatione mihi innotuit, in formam globuli compacta, nigri, ſed ad virorem aquae marinæ vergentis coloris, propellit.

Pag. 29. SPHAERIA *radians*. Viscus hoc radians in fungo obſenescente ſenſim diſparet, in juniore vero ac adulto eſt evidentiſſimum. Radiantem autem nominare malui Sphæriam, quam radiatam, præcipue hac de cauſa, quod nucleus ejus albus ſtellae inſtar exta atra fungilli irradiare quaſi videatur.

Pag. 30. SPHAERIA *lenta*. Subſtantia hujus Sphæriæ lenta quidem admodum eſt; aſt non fibroſa: temporis progreſſu duritiem Sclerotiorum acquirit. Jamque ſcio, ſphærulas adultas nigrescere, globoſa forma nunquam immutata. Verum enim vero cuti Sphæriæ tam prope tum ſubjacent, ut ferme concretæ cum illa videantur. Fructificatio pulverulenta, ut reliquorum Hypoxylorum.

Pag. 31. SPHAERIA *decidua*. In delineatione Sphæriæ hujus perfectæ (*Tab.* XIII. *fig.* 104. *c.*) receptaculum capſularum nimis convexum craſſumque evaſit;

evaſit; ſeu ad hoc relata ſphærularum moles nimis valde eſt imminuta. Quod reliquum eſt, parum abeſt, quin mihi perſuadeam, Sphæriam deciduam aeque, ac, quæ proxime ad illam accedit, Sph. cucurbitulam, a plantarum conquiſitoribus bene multis pro Sphæria Mori *Weig.* haberi; cum tamen haec a Viro maxime perſpicaci expreſſis verbis ſimplex declaretur: ſed fieri omnino perfacile poteſt, ut qui in Sphæriam noſtram incidit, ad receptaculum capſularum, ſub cuticula arborea delitescens hisque ſuperne denſe obſitum, non advertat.

INDEX.

# INDEX.


XXII. EPICHYSIVM Trichterſchwamm. p. 1

1. argenteum.

XXIII. PERICONIA Puderſchimmel. 2

1. lichenoides.

XIII. HYSTERIVM Venusſchwamm. 3

1. candidum.

2. caeruleum.

3. nigrum. 5

XXIV. HYDROPHORA Tropfenſchimmel

1. minima.

2. tenella. 6

3. ſtercorea.

XXV. SPHAERIA. 7

1. mollis. 8

2. triſtis. 9

3. cinnabarina.

4. byſſiſeda 10

*α. griſea.*

*β. fusca.*

5. mobilis. 11

6. porphyrogona. 12

7. macroſtoma.

*α. nigra.*

*β. fusca.* 13

*γ. nigro-fusca.*

*δ. libera.*

*ε. pileata.*

8. roſtrata. p 14

*α. atra.*

*β. nigro-fusca.*

9. comata 15

*α. atra.*

*β. fusca.*

10. mucida.

*α. cinerea.*

*β. alba.* 16

*γ. fusca.*

11. calva.

12. hiſpida. 17

13. inquinans.

14. fiſſivela. 18

15. confluens 19

16. artocreas. 20

17. complanata. 21

18. epiſphaeria.

19. moriformis. 22

*α. vulgaris.*

*β. fasciculata.* 23

*γ. globoſa.*

20. talus.

*α. cylindrica.* 24

*β. ſulcata.*

*γ. pileata.*

*δ. licheniformis.* 25

*ε. conferta.* 26


I 21. pla-

| | |
|---|---|
| 21. placenta. | |
| 22. natans. | 27 |
| 23. aeruginoſa. | |
| 24. caſtorea. | 28 |
| 25. radians. | 29 |
| 26. lenta. | 30 |
| 27. Ribis. | 31 |
| 28. decidua. | |
| 29. atro-purpurea. | 32 |
| 30. macula. | 33 |
| 31. cancellata. | 34 |
| 32. inſitiva. | 36 |
| 33. ſuccenturiata. | 37 |
| 34. cucurbitula | 38 |
| *α. flavescens.* | |
| *β. nigrescens.* | 39 |
| 35. convergens. | |
| 36. ſanguinaria. | 40 |
| 37. ceſpitoſa. | 41 |
| 38. cylindrica | 42 |
| 39. parabolica. | 43 |
| 40. conica. | |
| 41. ſubulata. | 44 |
| 42. dubia. | p. 45 |
| 43. penetrans | |
| *α. Patella.* | |
| *β. compreſſa.* | 46 |
| 44. Peziza. | |
| 45. Acroſpermum | 47 |
| *α. nigra.* | |
| *β. tricolor.* | 48 |
| 46. gelatinoſa | |
| *α. lutea.* | |
| *β. viridis.* | 49 |
| 47. gnomon. | 50 |
| 48. Lingam. | 51 |
| 49. tubaeformis. | |
| 50. hyſtrix. | 53 |
| 51. Ceratoſpermum | |
| *α. ſtrigoſa.* | 54 |
| *β. farcta.* | |
| 52. fragifera. | 55 |
| 53. verſipellis. | |
| 54. tunicata. | 59 |


ERRATA.

# ERRATA.

Pag. V lin. 2 loco ſpcieoſis lege ſpecioſis
VIII — 3 — Procœminari — Procœmiari; humatate — humanitate
2 — 17 — feſſilibus — ſeſſilibus
6 — 27 — ſtorcorea — ſtercorea
7 — 1 voci prævio ſubjungatur comma.
8 — 5 loco annumerari lege annumeravi
14 — 27 — agmino — agmine
Ibid. — penult. — tribus — duobus
15 — poſt vocem globoſa addatur clauſa,
Ibid. — 17 loco M lege X
16 — ult. — ſuperiori,, ,,inferiori lege ſuperiore,, ,,inferiore
25 — 11 — fiiat lege fiat
Ibid. — 13 — qua — quo
28 — 21 poſt vocem fungi inferendum eſt fuſca
32 — penult. loco fulvus lege fulva eſt
33 — 15 poſt vocem ſingulis deleatur comma.
35 — 4 loco fibræ lege fibræ
Ibid. — 9 — ablescente — albescente
37 — 10 — fuscescens — fuscescens
45 — 16 — puivisculo — pulvisculo
Ibid. — 23 — globoſo acuminata — globoſo-acuminata
46 — antepenult. — croceo miniatæ — croceo-miniatæ
51 — 13 poſt orbicularem inferendum eſt ora
Ibid. — antepenult. poſt fulva omiſſum eſt comma.
55 — 25 loco innati lege innata
56 — 13. 27 — glanco, glancum — glauco, glaucum.
57 — 19 delendum eſt comma poſt ipſa.
59 — 9 loco ſpeciepus lege ſpeciebus
60 — 29 — ſacie — facie.



Tab. I.
1 a
1 b
1 c
2
3 a Scler. immersum.
3 b
3 c
4 a
4 b
4 b
4 c
5 a
5 b
5 b
Scler. Muscorum (5 a, b.)
5 c
5 c
5 d
6 a Scleroti: Semen.
6 b
6 c
7 a
7 b
8 a Sclerotium radicatum.
8 b
8 c
9 a Sclerotium complanatum.
9 b
9 c
9 d
10 a
10 b
10 c
11
H. J. Tode del.


Tab. II.
Acrospermum compressum
12 b
12 a
13 a
13 d
13 c
13 b
15 b
=Lichen.
15 a
13 f
13 e
14 b Acrospermum pyramidale.
14 a
16 a
Stilbum vulgare
14 d
16 b
14 c
20 a
Stilbum turbinatum
17 a
20 b
Stilbum bulbosum
19
18
17 c
17 b
17 d
J. J. Gode del.


Tab. III.
Ascophora Mucedo.
22 g
22 e
22 d
22 c
22 b
21 a
22 a
22 h
22 f
21 c
21 b
23 a
23 b
24
Hydrophora equina.
25 d
27 a
25 a
26 a
25 b
27 b
25 f
25 c
26 b
29 a
25 e
Trichoderma viride.
20 b
28 a
28 e
28 d
28 b
26 c
26 f
26 e
28 c
26 d
N. J. Tode del.


Tab. IV.
31
30 a
32 a
32 d
32 c
30 b
30 c
30 d
32 b
33 h
33 b Ditiola volvata.
33 a
33 g
33 f
33 e
33 d
33 c
34 g
34 f
34 h
34 d Ditiola sulcata.
34 c
34 b
34 a
34 e
34 k
36 b
34 i
37 a
36 a
35 a
Tympanis saligna
37 f
37 i
35 b
36 c
37 c
37 b
37 g
37 e
37 d
37 h
H. J. Tode del.



Tab. V.
38 b
38 a
38 c
38 d
38 f
38 e
39 a
39 b
39 c
39 d
40 a
40 b
40 c
41 a
41 b
41 c
41 d
42 a
42 b
42 c
43 a
43 b
43 c
43 d
43 f
43 g
44 a
44 b
44 c
44 d
H. J. Tode del.


Tab. VI.
45 b
45 a
47 a
46 a
45 c
45 f
45 e
45 d
47 b
46 b
46 d
47 c
46 c
45 g
48 a
48 b
49 d
49 a
48 c
48 e
48 d
49 b
51 c
49 c
51 a
49 e
50 a
Pyrenium terrestre.
51 b
50 b
50 c
H.J. Tode del.
E. Riepenhausen sculp.


Tab. VII.
53 b
52 c
52 d
52 c
52 a
52 b
53 a
52 f
54 e
55 a
54 a
54 d
55 b
54 d
55 c
54 d
54 b
54 f
54 c
57 a
57 d
56 a
57 c
57 b
56 d
58
56 b
56 h
59 a
59 c
59 f
59 b
56 g
56 f
56 e
56 c
59 c
59 g
59 d
R f.


Tab. VIII.
Epichysium argenteum Tode. Gen. dubium.
60 a
60 b
60 b
60 c
60 d
60 e
61 a
61 b
61 c
61 d
61 e
61 f
61 g
Periconia lichenoides
62 a
Hysterium — ?
62 b
63 a
63 b
63 c
Hysterium — ?
64 a
64 b
64 c
64 d
64 e
65 a
65 b
65 c
65 d
Hydrophora minima.
J. H. Tode del.


Tab. IX.
68a
68c
67a
67b
68a
68d
68b
67c
66c
66b
69a
69b
69c
71a
71b
71c
70a
70c
70b
73a
73b
73c
72a
74b
72c
72b
74a
74c
75b
76a
76b
78
75a
77
76c
H. J. Tode del.




Tab. X.
Sph. rostrata.
79 a
79 b
79 c
79 d
80
81 a
81 b
81 c
Sph. comata.
83 a
Sph. calva
83 b
83 c
82 a
82 b
82 c
84 a
84 b
84 c
sph. hispida.
85 a
Sph. inquinans
85 b
85 c
85 d
85 e
85 f
86 a
86 b
86 c
86 d
86 e
86 f
87 a
87 b
87 c
87 d
S. confluens
J.H. Tode del.
Riep sc.



Tab. XI.
88 b Sph. complanata
88 a
89 b Sph. episphaeria
89 a
89 c
89 f
89 e
89 d
88 c
90 b
90 c
91 b
90 a Sph. moriformis
92 f
91 a
92 c
92 a Sph. nivea (erronea)
93 b
92 d
92 e
95 a Sph. ambiens
95 b
94 d
94 c
93
94 b
95 c
96
95 d
94 a
95 f
95 e
95 g
95 h
H. J. Tode del.
Riep sculp.



Tab. XII.




K. I. Tode del.

R. sc.





Tab. XIII.
104 a
104 d
Sph. coccinea.
104 b
105 a
105 b
105 d
105 c
104 c
106 f
106 b
106 a
Sph. nummularia ?
106 c
106 d
106 e
107 a Sph. salicina.
107 b
108 a Sph. insitiva
108 b
108 c
107 c
107 g
108 e
108 d
107 f
107 d
107 e
H. J. Tode del.



Tab. XIV.
Sph. succenturiata
109 a
109 b
109 c
109 d
110 a
110 e
110 f
110 b S. cucurbitula.
110 c
111 a
Sph. convergens
111 c
110 d
111 d
113 b
111 b
113 a
111 e
112 a
113 e
113 c
112 c
112 b
113 d
112 d
H. J. Tode del.
Riep. sculp.


Tab. XV.
114 a
Sphæronema cylindricum
114 b
114 c
115 b
115 c
115 d.
115 a
116 a
Sphæronema conicum
116 b
116 c
116 d
116 e
117 a
Sphæronema subulatum.
118 a
Sphæronema aciculare.
118 b
117 b
117 c
117 d
117 e
119 a
Sphæronema Acrospermum.
121 a
Sph. patella.
121 b
121 c
121 d
121 e
119 d
120 a
120 b
121 f
119 b
119 c
122 a
Sph. Peziza.
122 b
122 c
122 d
122 e
H. J. Tode del.


Tab. XVI.
Sph. gelatinosa
123 a
123 b
123 c
123 d
123 f
Sph. gelatinosa, c.
124 a
124 b
124 c
124 d
124 e
124 f
125 e
125 a
125 b
125 c
125 d
125 e
125 f
126 a
Sph. lingam
126 b
126 c
126 d
126 e
128 a
S. tubaeformis.
127 d
127 e
128 b
128 c
128 i
128 h
127 a Sph. hystrix
127 b
128 e
128 g
128 f
127 c
H. J. Tode del.
Riep sculp.




Tab XVII.
129a Sph. deusta.
129b
129c
129h
129i
129g
129e
129d
130a
129f
130b Sph. concentrica
130c
130d
139f
131c
130g
130e
132c
131d
132a
131a
131b
132d
132b
H. J. Tode del.
R. sc.